



ARISTOTELIS LIBELLI, QUI PARVA NATURALIA VVLGO APPELLANTVR,

Ioachimo Perionio interprete: per Nicolaum Grouchium correcti & emendati.

<i>De sensibus, & ijs quæ sensibus percipiuntur.</i>	I
<i>De memoria & recordatione.</i>	I
<i>De somno & vigilia.</i>	I
<i>De somnijs.</i>	I
<i>De diuinatione per somnum.</i>	I
<i>De motu animantium.</i>	I
<i>De diurnitate & breuitate vitæ.</i>	I
<i>De adolescentia & senectute, vita & morte.</i>	I
<i>De respiratione.</i>	I



LVTETIAE PARISIORVM
*Apud viduam Mauricij à Porta, in Clauso Brunello,
Ad D. Claudij insigne.*

1554.

R/3.017

ARISTOTELIS
METEOROLOGICA
VVLGO APPELLANTVR

Primum Partitionatum per Meteoros
Quoniam sunt quatuor

De his quae sunt per se
De his quae sunt per accidens
De his quae sunt per se
De his quae sunt per se
De his quae sunt per se
De his quae sunt per se
De his quae sunt per se
De his quae sunt per se
De his quae sunt per se
De his quae sunt per se



AVTENTICA CARBONARIA
Museum Mazarini à Paris in Classe Brunello
Ad D. Claudii regis

1774

3

D. CAROLO LOTHARINGO CARDINALI

Guifiano, pontifici Remorum, abbatique D. Pauli
apud Cormoeriacum, Joachimus Perionius

S. P. D.

Nam philosophia omnis per se res quadam praclara est, hominisque cognitione dignissima, tum vel maxime ea illius pars, quae de natura differit, tantam dignitatem, utilitatemque & oblectationem habet, ut cum excellentibus artibus comparata, eas longe superare videatur. Quod quidem & si gravissimis firmissimisque rationibus hoc loco doceri potest, tamen quoniam hoc alias conati sumus facere, nunc tantum ex rerum in quibus versatur, multitudine ac varietate persuadendum putavi. Nam cum ex his quatuor notis naturis omnia constent, caelestesque globi haec omnia quasi rerum initia complexu suo coerceant, eorum omnium haec ars una, ratioque natura scientiam profitetur. Nihil est enim tam in caelis arduum tamque excelsum, quo non hominum qui hanc primi inveniunt, acies animi penetrauerint. nihil tam abstrusum atque abditum in terra visceribus, quod non illi eruerint: nihil tam demersum in mari, quod non sint diligentia laboreque consecuti: res denique nulla in caelo, igne, aere, aqua terraque viget, cuius non causas diligentissime persecuti sint. Quem ego locum si copiose tractare velim, sigillatimque omnia explicare, citius me dies deficiet, quam oratio. Sed satis est perspicere, quam longe lateque haec siue ars, siue ratio pateat, ut quae ex eius studio utilitas, quae oblectatio percipi possit, intelligatur. Quod si uno verbo quid de eius amplitudine tenendum sit, exponendum est, quicquid Plinius septem & triginta illis libris complexus est, id fere ratio natura complectitur. Hanc quidem philosophiae partem tertiam, ut reliquas duas, Aristoteles maximo vir ingenio omnibusque bonis artibus praeditus, Graco sermone reprehensis correctisque aliorum sententys explicavit. Sed cum eam ab illo nonnulli ad nostrorum hominum cognitionem transferentes, tam illoto tamque inculto sermone tractauissent, ut in facie reginae artium philosophiae, quae ornatus suo honestissima erat, deformitas quadam & macula iniusta videretur: quod in aliis duabus partibus iam feci, ut pristinam illam suam pulchritudinem quam amiserant, recuperasse magna ex parte videantur, id mihi in hac quoque parte faciendum iudicavi, ut praesertim in libris qui in scholis publicis legi & explanari solent. Itaque cum alios aliis clarissimis hominibus libros quos ipse de natura scripsit, a me editos misissem, illa omnia eiusdem opuscula quae Parua naturalia vulgo nominantur, in tuo nomine apparere volui, ut qui anno superiore Topica theologica nostra accepisses, idem etiam haberes a nobis aliquid eorum, quae ab Aristotele transtulisses. Nec vero casu factum est, ut hos ad te potissimum libros mitterem, sed consilio atque ratione: habuique in eo, & mea facultatis rationem, & dignitatis tuae. Nam & nitorem eum adhibui orationis, qui hominum studia ad legendum excitare posset, & libelli ipsi eas res continent, quas, quoniam humanae sunt, cognitione tua non indignas iudicabis. Nam in

A. ij.

primo, ut ab eo primū ordiar, de sensibus agitur, iisque quae percipiuntur sen-
 sibus: quae ex disputatione falsas veterum philosophorum de cernendi ratione
 sententias cognosces, Aristotelisque verissimā, quam omnes sequuntur. Est illa
 quoque praecleara de colorum generibus, eorumque origine disputatio: nec minus
 iucunda ea, quae in exponendis saporum generibus ac mutationibus, iisque re-
 bus omnibus quae sapore praedita sunt, & quae non praedita, tota consumitur.
 Quid verò dicam, quantum oblectationis habeat locus ille, quo & de odorum
 vi generibusque idem differit, & contra Pythagoreos animantia nulla esse do-
 cet, quae odore victitent? Iam verò ut ad proximum librum, qui est de Memoria
 & recordatione, veniamus, tenere quid sit memoria, quid à sensu, spe, recorda-
 tione doctrināque differat, quibusque in rebus cernatur, & qua in parte animi
 sita sit, quae res eam pariant, partamque conseruent, in quibus bestiis reperia-
 tur, qui homines eadem valeant aut non valeant, & cur: haec, inquam, tenere,
 summa cuiusdam est & utilitatis & voluptatis. Nec minorem voluptatem
 is qui proximè sequitur, promittit. Nā & quid somnus sit explicat, & qua in
 parte animi primū insit, & an cuncta animantia dormiant, & cur somni
 cupiditate ducantur, ac dormiant, id est quae sint somni causa efficientes, qui e-
 tiam somno opprimi vel non opprimi natura soliti sint: quae iucunditatis plena
 est oratio. Quid verò de somniis dicam? an non eorum ratio tota oblectationis
 est? veluti quid somnium sit, quaque animi parte somniemus, quaeque sint cause
 efficientes somniorum. Questio etiam illa de diuinatione ex somniis, quae phi-
 losophorum animos multum exercuit & anxio, peperitque inter eos magnas
 dissentiones, eo libello qui de ea re scriptus est, acutissimè explicata, causarum
 eius diuinationis expositione, magnam animo tuo oblectationem voluptatē-
 que afferet, & ad intelligendos libros Ciceronis de eadem questione maximum
 adiumentum. Reliqui sunt libri, aut libelli potius, de motu animatum, de dur-
 turnitate & breuitate vitae, de adolescentia & senectute, de vita & morte, de
 respiratione: in quibus quantum simul & utilitatis & voluptatis ex causariis
 cur quicque eorum eueniat, cognitione, percipi possit, nulla oratione exprimere
 possum. Haec quidem omnia. Aristotelis opuscula, ut in Graecis exemplaribus
 distincta sunt, ad te mitto, ut quibus nunc officiis possum, dum maiora molior,
 meā in te fidem perpetuamque obseruantiam declarem: quae ut tibi grata sint,
 te vehementer etiam atque etiam rogo. Vale clarissime Cardinalis. Lucretia
 Parisiorum xiiii Calend. May. M. D. L.



ARISTOTELIS DE SENSU,
ET IIS QUAE SENSIBVS PER-
CIPIVNTVR LIBER.



Quoniam de animo per se antè explicatū est, ac Cap. I. de facultatibus vniuscuiusque eius partium sigillatim, sequitur vt quænam animantium eorūque omnium quæ vitæ beneficio vtuntur, propriæ sint actiones, quæ communes, consideremus. Ac ea quidem posita sint quæ de animo diximus. De cæteris autem, ac primū de primis disseramus. Cōstat quidem ea quæ maximum pondus habent, communiāque sunt & propria animantium, cōmunia animi esse ac corporis: quo in genere est sensus, memoria, ira, appetitus, & vno nomine cupiditas, & præterea voluptas ac dolor. Hæc enim ferè in omnibus animalibus reperiuntur. Præterea eorum partim omnium quibus vita data est, communia sunt, partim animantibus quibusdam conueniunt. Horum autem ea quæ maximum pondus habent cæterisque præstant quatuor tantū paribus continentur, vt vigilia & somnus, adolescentia & senectus, spiratio & expiratio, vita & mors, quæ quid sint, ac quibus ex causis eueniant, videndum est. Physiци etiam est valetudinis ac morbi primas causas animaduvertere, præsertim cū nec valetudo nec morbus in ea quæ vita careant, cadere possit. Itaque ferè ij omnes qui in nature ratione versantur, & medici qui sunt in eo genere sapientiores maxima ex parte, vel in ijs quæ ad medicinam pertinent, finem artis faciunt ac statuunt, vel certè ex ijs quæ naturam attingunt principium ducentes, de medicina disputare solent. Ea autem quæ dicta sunt, communia & animi esse & corporis, hinc sciri potest, quòd eorū partim cum sensu coniuncta sunt, partim à sensu proficiscuntur, ita tamen, vt quædam eius affectiones sint, alia habitus, nonnulla

A. iij.

custodia atque conseruationes, aliqua interitus & priuationes. Sen-
 sum autē à corpore animo euenire, tum ratione doceri potest, tum
 sine ratione intelligi. Sed de sensu & sentiendi officio ac munere,
 & quam ob causam animantibus hæc affectio conueniat, in libris
 de Animo diximus. Animantibus autem, qua ex parte vnumquod-
 que animal est, sensus conuenit. Hoc enim ipso animalis naturam
 à non animali distinguimus. Ac de his quidem vt sigillatim dis-
 seramus, tactus & gustatus in omnia cadunt necessariò, ita ta-
 mē vt tactus propter eam causam quam in libris de Animo dixi-
 mus, cadat: gustatus propter cibum & alimētum. Hic enim sensus
 salutarem cibum à pestifero ita secernit, vt insuauem & ingra-
 tum fugiat, salutarem gratumque appetat, omninoque sapor eius
 est partis animi affectio, quæ alendi vim habet. Ii autem sensus qui
 à rebus extrinsecus adhibitis oriuntur, vt odoratus, vt auditus, vt
 aspectus, ijs animantibus quæ gradiuntur, & omnibus quæ iis qui-
 dem prædita sint, conseruationis salutisque causa dati sunt, vt
 & præsentiendo partem quærant, & exitiosum pestiferumque
 declinent. Iis autem, quæ etiam prudentia prædita sunt, sensus
 eosdem natura attribuit, ornatus dignitatisque causa: quippe cum
 multas dissimilitudines nuncient, quibus tum eorum quæ sub in-
 telligentiam cadunt, tum eorum quæ agenda sunt, scientiam pru-
 dentiamque adipiscuntur: horum autem in ijs quidem quæ neces-
 sarium vitæ cultū desiderant, aspectus etiam per se ac vi sua plus
 potest, in percipiendo & intelligendo aliena vi, auditus: idque fit
 propterea quòd multas ac varias rerum distinctiones explicet a-
 spectus, propterea quòd omnia corpora colore perfusa sint. Itaque
 hoc ipso sensu ea quæ sunt omnium communia, percipiuntur ma-
 ximè. communia autem appello, vt figuram, magnitudinem, motū,
 statum, numerum. Auditus verò, sonorum dissimilitudines solum
 declarat, paucis autem etiam vocis & orationis. Auditus autem
 aliena vi ad discendum & percipiendum maximum affert adiu-
 mentum. Oratio enim & sermo doctrinæ causa est, cum audiatur,
 nō per se, nec vi sua, sed per aliud, cum ex nominibus cōstet, quorū
 quodq; sit nota. Itaq; ex his qui vtroq; horū sensuum à primo ortu
 priuati sunt, aptiores sunt ad discendū cæci, quàm ij qui muti &
 surdi sunt. Ac de vi quidem quæ cuiq; sensui data est, antè dictū
 est.

est. Corporis autem partes, quibus nasci & existere sensus so- Cap. 2.
leant, nonnulli quidem pro elementorū ex quibus corpora constant,
ratione exquirunt: & cum non possunt ad quatuor illas sedes sen-
sus qui quinque sunt, adhibere, de quinto hærēt. Faciunt autē omnes
aspectum vim naturamque igneam imitari, quod causam alicuius
effectus ignorent. Cum enim torquetur ac mouetur oculus, tū ignis
species elucere ac prodire videtur, quod in tenebris, vel cum pal-
pebræ obductæ sunt, solet contingere: tum enim etiam in tenebris
est. Quod etiam aliam dubitationem affert. Si enim fieri non po-
test, ut quispiam ignoret se sentire, ac videre id quod sub oculos
eius cadat, necesse ergo erit eundem suum oculum cernere. Cur igitur
ei quiescenti idem non vsuuenit? Sed huius rei causa & quæ-
stionis, cur aspectus ignis esse videatur, hinc intelligenda est. Soli-
tæ sunt enim res læues in tenebris micare, non tamen lumen ex se
profundunt: pars autem oculi quæ medium locum tenet, & nigra
solet appellari, læuis videtur. Hoc verò apparet cū oculus torque-
tur, propterea quod vnū quasi duo esse accidat, quod quidem motus
celeritas efficit, ut aliud videatur esse id quod cernit, & quod cer-
nitur. Itaque non fit illud, nisi citò & in tenebris id eueniat, pro-
pterea quod ea quæ læuia sunt, in tenebris micare solent, veluti pi-
sciū quorundam capita, & sepia atramentum. Quod si lentè oculi
moueantur, non contingit, ut simul duo & vnum id quod cernit
quodque cernitur, esse videatur. Illo autem modo se ipse oculus cer-
nit, quemadmodum etiam in relatione. Alioqui si ignis esset, quæ-
admodum & Empedocli placet, & in Timæo scriptum est, aspe-
ctusque excunte quasi ex lucerna lumine eueniret, cur etiam in te-
nebris oculi non cernerent? Nam aspectū extinguere dicere in tene-
bris cum exit, id quod Timæus confirmat, prorsus nihil est. Quæ e-
nim luminis extinctio est? Omne enim quod calidū & siccum est,
vel humore, vel frigore extinguitur, ut ignis qui in prunis est, &
flamma, quorū neutrum lumini cōtingit. Quod si fortè contingit, sed
propter paruitatem id nos fugit, profectò & interdiu, & in aqua
extinguere lumē oporteret, & cum gelu omnia obrigescent, maximè
tenebras existere. Flammæ enim hoc iisque naturis & corporibus
quæ deflagrant, contingit. Nunc verò nihil tale vsuuenit. Empe-
docles autem in ea sententia interdum videtur esse, ut aspectum
A. iij.

8 *ARIST. LIBER DE SENSV,*
dicat, id quod antedictum est, lucis ex oculis emissionem oriri. Scribit enim hoc modo,

„ Vt cum quis meditatur iter noctem sub opacam,
„ Præparat in lychnum, torrentis lumen & ignis
„ Laternamque aptat, quæ ventos arceat omnes:
„ Dissipat hæc flantis tum dura incommoda venti,
„ At lux exiliens, proprium diffusa per orbem,
„ Collucetque viæ radijs pellitque tenebras:
„ Haud aliter tunicis clausus subtilibus ignis,
„ Per pupillarem citius diffunditur orbem:
„ Ingentem hæc prohibent circumlabentis aquæ vim,
„ Ignis at excurrit, quantum se fundere possit.

Atque hoc quidem modo nos interdum sentit cernere. Interdum autem ijs fluxionibus, quæ proficiscantur à corporibus quæ videntur. Democritus verò quòd aquæ naturam aspectum imitari dicit, rectè sentit, quòd autem aspectum emphasim ipsam, hoc est imaginis veluti apparitionem esse ait, non rectè. Hoc enim contingit, propterea quòd oculus lævis & planus est, nec in eo quod cernitur inest, sed in eo quod cernit. Relatione enim id efficitur. Sed nihil omnino etiam nota ei erant ea quæ de rebus speciem sui præbentibus, & de relatione verè traduntur. Absurdum est ei etiam non venisse in mentem quærere, cur oculus tantum cernat, aliarum autem rerum nulla, in quibus imagines exprimantur. Ac illud quidem verum est, aspectum aquæ naturam imitari, sed tamen non cernimus, quia aqua est, sed quia perlucidus est oculus, quod etiam cum aère commune habet, sed facilius & diuturnius aqua quàm aër seruari & retineri potest. Itaque pupilla & oculus naturam aquæ imitantur. Quod etiam res ipsa declarat. Nam & quod defluit ex oculis cum sauciati sunt, aqua planè videtur, & in ijs qui admodum pueri infantesque sunt splendore ac fulgore præstât: & albugo oculorum in ijs quidem animantibus, quæ sanguinem habent, pinguis est: quod eò à natura effectum est, ut humor ipse concretionis expers permaneat. ob eamque causam pars est nulla corporis, quæ tardius ac minus, quàm oculus frigoris incommoda sentiat. Neque enim adhuc ea pars quam palpebræ obducunt, frigore obrigit. Eorum autem animan-

tium,

titum, quæ sanguine carent, oculi corio duro tecti sunt, idque pro
 operculo valloque est. Sed hoc planè absurdum est, quod aiunt nõ-
 nulli, aspectum emissa ex se quadam natura cernere, permanarèque
 usque ad astra: aut ad aliquem usque terminum egrediendo cum
 aliena luce coniungi atque confundi, ut quibusdam visum est.
 Hoc enim præstat dicere, ipsum lumen initio cum oculo coniungi,
 quanquam hoc etiam stultum est putare. Quid est enim lumen cum
 lumine cõiungi? aut quì tandem hoc fieri potest? Neque enim quæ-
 vis res cum quavis coniungitur: & res quæ intus est, cum externa
 quo tandem modo? cum membrana interiecta sit. Nos quidem aliis
 libris hoc docuimus, aspectum rei nullius sine luce ullo modo pos-
 se existere. Sed siue lumen siue aëra inter rem quæ cernitur, & ocu-
 lum interiectum ponamus, profectò motus is qui ab eo existit, facit
 ut cernamus. Nec verò sine causa id quod interius est, aquæ natu-
 ram imitatur. Aqua enim perlucida est, cerniturque quemadmo-
 dum extrinsecus, sic intus non sine lumine. Aliquid igitur oportet
 esse quod sit perlucidum, idque aqua sit necesse est, cum non sit
 aër. Neq; enim in extremo oculo animus situs est, nec animi locus
 & sedes est, neq; verò dubiũ est quin intra nos sit. Itaque interior
 pars oculi & perlucida sit, & vim eam habeat, ut lumen recipiat,
 necesse est. Idque perspici licet ex iis quæ vsuveniunt. Iam enim
 nonnullis qui bello eiusmodi circa tempora vulnus acceperunt, ut
 via & itinera oculorum excisa sint, tenebræ offundi visæ sunt,
 quasi lucerna extincta, quòd parte ea quæ perlucida est, & pupil-
 la excisa quasi splendor quidem ademptus esse videretur. Ex qui-
 bus perspicuum est, si in his rebus hoc ut dicimus, contingit, v-
 namquamque sensuum sedem & locum eodem modo vni elemen-
 to attribui oportere: ita ut eam partem oculorum qua cernimus a-
 quæ, aëris eam qua sonorum varietates percipimus, ignis naturam
 odoratum imitari existimare debeamus. Quod enim re ipsa odora-
 tus est, id esse potest quod eã vim habet ut olfacere possit, quippe
 cum id quod sensum mouere potest faciat ut sensus munus suum
 exequatur. Ita fit ut necessariò sensus id tandem sit quod esse po-
 terat. Odor autem quædam est fumum imitans exhalatio. Atqui
 exhalatio quæ fumi specie efflatur, igneæ naturæ est. Itaque in loco
 qui cerebro vicinus est, sensus odoratus sedes propria sita est. quã-

doquidem frigida rei materies caloris vim habet, & oculorum origo eodem modo concluditur, quippe cum ex cerebro constet, quod humore & frigore reliquas corporis partes facile vincit. Ea autem pars in qua inest tangendi principatus, terrena est, ea verò qua gustamus, quaedam species tactus est. ob eamque causam uterque & tangendi & gustandi sensus cordi adiunctus & annexus est. Est enim cor cerebro contrarium, caloreque ceteras partes longè ac multum superat. Ac de iis quidem corporis partibus, in quibus sentiendi est fons & principium, ita dictum sit. De iis autem quæ uniuscuiusque mouentia sunt, ut de colore, sono, odore, sapore, & eo quod sub tactum cadit, uniuerse quidem in libris de Animo diximus, quòdque esset eorum munus & officium, quid etiam esset fungi uniuscuiusque sensus munere. Quid autem quiduis eorum sit, veluti quid color, quid sonus, quid odor, aut sapor, & quod tractabile est, videndum est. Ac primum de colore dicamus. Eorum quidem unumquodque duobus modis dicitur, & re ipsa, & vi ac potestate. quorum color & sonus qui re ipsa sunt, quemadmodum vel idem sint vel à sensibus quæ in res sibi obiectas intenti sunt, veluti ab intuitu & auditione, differant, aut non differant, in libris de Animo dictum est. Quid autem unumquodque eorum est, quæ & sensum moueant & ut re ipsa sit, efficiant, nunc explicemus. Diximus quidem illis in libris lumen esse colorem rei perlucida quodam modo & vi aliena, propterea quòd cum aliquid igneum est locatum in re perlucida, id quidem quod præsens est, luminis: priuatio autem, tenebrarum nomine nuncupatur. Quod autem perlucidum dicimus, id nec aeris proprium, nec aquæ est, nec aliorum corporum, quæ ita vocantur, sed communis est quaedam natura & vis, quæ tametsi separari non potest, tamen & cum his & cum aliis corporibus ita coniuncta est, ut in nonnullis maior, in aliis minor eius vis esse videatur. Ut igitur cæterorum corporum, sic etiam huius naturæ aliquid sit extremum oportet. Ac luminis quidem natura in non definita ac terminata re quæ perlucida sit, coheret. Nec verò cuiquam dubium est, quin extremum sit quiddam rei perlucida, quæ cum corporibus coheret. Id autem colorem esse, usu rerum animaduerti licet: cum color omnis aut in extremo insit, vel sit extremitas. Itaque Pythagorei superficiem colorem vocabant. Est enim in corporis extremitate,

te, non quædam corporis extremitas, sed eam naturam, quæ extrinsecus colorata est, etiam intrâ esse existimare debemus. Atque etiâ aër & aqua colore prædita videntur, propterea quòd splendor sit eiusmodi: sed illic quia color est in re quæ incerto infirmoq; termino constat, non eodem calore tinctâ cominus & accedentibus, quo eminus, aër & mare videntur. In corporibus autem, nisi id quod circumfusum est varietatem mutationemque faciat, coloris etiam species certa est, nec variatur. Ex quo perspicuum est, idem & illic & hîc coloris esse receptaculum. Ita res perlucida quatenus corporibus inest, (inest autem & magis & minus) eatenus omnibus colorem communicat. Quoniam autem in extremitate color inesse solet, certè in talis cuiusdam corporis extremo insit necesse est. Ergo color erit rei perlucidæ in corpore certo & terminato extremitas. In ipsis etiam rebus perlucidis, ut in aqua, & si quid aliud est eiusdem generis, & in iis quæ colorem proprium habere videntur, æquè omnibus in extremo adhaerescit. Ac fieri quidem potest, ut in re perlucida id insit, quod etiam in aëre lumen præstat: fieri etiam potest, ut non adsit, sed absit. Quod igitur illic sunt lumen & tenebræ, idem in corporibus candor & nigror valent. De aliorum autem colorum generibus, iam distinctione adhibita, quot modis id fieri possit, dicendum est. Fieri enim potest, ut etiam inter se ita candor & nigror componantur, ut neuter propter parvitatem sub aspectum cadat, is autem qui ex utroque temperatus concretusque sit, ita denique cernatur. Is enim neque albus, neque niger esse vlllo modo potest. Quoniam autem eum necesse est in colore aliquo esse, & in illorum neutro potest, profectò aliquis mixtus ac temperatus, & quoddam aliud coloris genus sit necesse est. Atque hoc quidem modo plurima esse colorum genera præter album & nigrum intelligi licet, quæ ex ratione quadam & comparatione existant. Nam ut tria cum duobus, & tria cum quatuor, & aliis numeris comparari possunt. Alia autem genera ex nulla quidem ratione existunt, sed ex quadam exuperatione & defectione, ex quibus nulla oriatur concinna proportio. Atque hæc quidem eodem modo inter se affecta sunt, quo symphonie. Nam ut quisque color constat optima ratione numerorum, quemadmodum illic symphonie, ita suauitate & delectatione:

maxima aspectum mouere videtur: veluti purpureus & puniceus,
 & pauci quidē eius generis sunt, quam ob causam per pauca sunt
 symphoniæ. Reliqui autem colores in numeris eius generis non ha-
 bentur: vel certè omnes colores in numeris habebuntur, qui quidem
 certi sunt ac definiti: alij autem incerti sunt: atque hi ipsi, cum
 non sunt puri ac simplices, quòd non in numeris sint, tales existūt.
 Atque hic quidem vnus modus est originis colorum. Alter autem
 est ob eam causam, quòd alij per alios appareant, id quod inter-
 dum pictores faciunt, cum alium colorem in alium euidentiore
 iniiciunt, & inducunt, veluti cum faciunt vt aliquid in aqua vel
 in aère emineat atque appareat: & sol per se quidem candidus
 est, per caliginem autem & fumum, puniceus. Atq; etiam hoc mo-
 do multa erunt colorum genera, non aliter, ac superiore ratione
 esse diximus, præsertim cum eorum qui eminent, cum iis qui subie-
 cti sunt, quædam sit comparatio ac proportio. Alij autem nulla
 ratione constabunt. Illud igitur absurdum est, dicere id quod vete-
 res, colores esse fluxiones, eosque ob eam causam videri. Necessè e-
 nim erit eis per tactum rerum omnium sensum facere. Ita fit vt
 melius sit ita existimare, sensum fieri ob eam causam, quòd res
 quæ interiecta est, à rebus sub sensum cadentibus moueatur, quam
 tactu & fluxionibus. Ac in iis quidem qui ex aliorum inter se
 compositione oriuntur, necessè est quemadmodum magnitudinem
 designari quæ aspectum fugiat, sic etiam tempus quod sub sen-
 sum nō cadat, vt & motus qui suboriuntur lateāt, & vnum, quòd
 simul appareant, esse videantur. Hic autem non est necessè, sed
 color qui eminet cum sit immobilis, moueaturque ab eo qui subie-
 ctus est, non similem motum efficiet. Itaque alius videtur atque
 diuersus, nec albus nec niger. Ita si nulla magnitudo sensum ocu-
 lorum effugere potest, sed omnis ex certo interuallo cernitur, quæ-
 nam hæc erit colorum permixtio? Illo etiam modo nihil prohibet
 commune quoddam coloris genus is qui procul absint, videri. Nul-
 lam enim magnitudinem esse, quæ non cerni possit, post videbi-
 mus. Quòd si est temperatio & permixtio quædam corporum non
 eo solum modo, quem nonnulli fingunt, cum minima inter se illa
 quidem componuntur, non tamen à nobis sensu videntur: sed pla-
 nè omni ex parte confundantur corpora, quemadmodum vniuer-

se de omnibus in libro in quo de permixtione disputauimus, dictum est. Nam illo quidem modo ea demum inter se miscentur, quae in minima diuidi possunt, in quo sunt genere homines, equi & semina, (hominum enim in genere vnus homo est minimus, & equorum equus) fit vt horum inter se compositione simul vtrorumque multitudo permisceatur. Vnum autem hominem cum vno equo mixtum esse non dicimus. Quae autem in minima non diuiduntur, eorum hoc quidem modo permixtio fieri non potest, sed quod omni ex parte confundantur, quae sanè maxime misceri inter se solent. Quod quemadmodum fieri queat, antea cum de permixtione differeremus, diximus. Sed illud perspicuum est, cur necesse sit, cum aliqua miscentur, colores etiam temperari atque confundi: hoc etiam intelligi licet, hanc ipsam causam praecipuam esse, cur multi variique sint colores, non ipsam suprapositionem hoc facere, nec illorum propter se inuicem positionem, praesertim cum non ita vsuueniat, vt procul & eminus, non propè & cominus vnus coloris species aspectui obiiciatur eorum quae mixta sunt, sed omni ex parte id fiat. Multi autem colores erunt, propterea quod ea quae miscentur multis rationibus inter se ita misceri temperarique possunt, vt quaedam habita numerorum ratione, alia propter praestantiam solum, aliaque eo modo, quem in coloribus qui inter se componuntur, vel in eminentia dicere possumus. Ac de iis quidem quae inter se miscentur, in aliis quoque libris disputatum est. Cur autem colorum, saporum, & sonorum certa sint genera, non infinita, postea dicemus. Quid ergo color sit, & cur multa sint colorum genera, diximus. De sono etiam & voce antè in libris de Animo dictum est. Nunc sequitur, vt de odore & sapore differamus. Eadem enim vtrumque ferè affectio est, sed non in iisdem versatur. Evidentius autem nobis est saporum genus, quam odorum, propterea quod & hic sensus nobis praeceteris animantibus imbecillior datus est, omniumque eorum quibus praediti sumus, est infirmissimus: & tactu cetera animantium genera vincimus, cum eius sit pars quaedam sapor. Et aquae quidem natura saporis omnis expers esse vult, sed necesse est, vel in se aquam saporum succorumque genera sine sensu propter paruitatem continere, vt Empedocli placet, vel certè materiam quandam insitam habere, quae sit qua-

si commune saporum seminariū, atque ita, ex aqua omnia, sed alia ex alia parte oriri, aut si nullam aqua distinctionem differentiāque habeat, in eo quod efficiat, causam subesse: ut si quis calorem aut solem horum causam esse dicat. Et quod ait quidem Empedocles, id tam perspicuè falsum est, ut oculis conspici possit. Sapores enim à calore mutari cernimus, cum fructus decerpti & soli exponuntur & igni coquuntur, quod satis argumenti est, eos non ab aqua succum talem trahere, sed in ipso fructu mutari: itémque cū progressu temporis insitus humor transpiratur ex dulcibus acerbos, amarosque alterius vel saporis euadere: cōcoctosque in omnia ferè saporum genera verti. Itémque fieri non potest, ut aqua sit materies, quasi commune saporum seminarium. Ex eodem enim exempli gratia, cibo & pastu diuersos sapores effici videmus. Relinquitur ergo, sapores mutari ex eo quòd in aqua quaedam affectio consequatur. Illud verò perspicuum est, vim eam quam saporem appellemus, non à vi tantum caloris accipi. Aqua enim cum omnium humorum tenuissimus est, tum oleum etiam tenuitate vincit, sed oleum propterea quòd viscosum est, maiorem locum quam aqua, occupat, latiusque funditur, & aqua fugacior est, vnde fit ut difficilius sit aquam in manu quam oleum tenere. Quoniāmque aqua sola cum efferuescit, minimè densior efficitur, profectò alia sit causa necesse est, presertim cum sapores omnes crassiori quadam natura constant, & calor causæ nomen commune cum illa habeat. Sapores verò qui in fructibus reperiuntur, ijdem etiam in terram conueniunt. Itaque multi eorum qui de natura quondam differuerunt, aquam talem, qualis sit terra, per quam effluat esse posuerunt, idque in aquis salis maxime animaduerti licet. Sal enim quoddam terræ genus est. Quocirca quæ per cinerem qui amarus est, funduntur, sapore amaro sunt, itémque ea quæ per alia colantur. Suntque fontes alij amari, nonnulli acres, sunt etiam qui alios varios sapores & succos retinent. Itaque rectè in iis quæ terra ex se fundit saporum genus existit maxime. Nam cum humor, ut etiam alia, à contrario aliquid accipiat & quasi patiatur, & siccitas eius sit contrarium, fit ut ab igne qui quidem aridus est natura sua, aliquid patiatur & accipiat. quanquam ignis calor proprius est. Terræ autem quemadmodum cum de elementis disputaremus,

remus,

remus, dictum est, siccitas. Quia igitur ignis & terra sit, nihil facere aut pati solent, nec quicquam aliud, sed quatenus in eis quaedam repugnantia inest, eatenus & faciunt, & patiuntur omnia. Ut igitur ij qui colores & saporis aquis diluunt, tali calore ac sapore aquam inficiunt, sic natura aridam & terrenam substantiam admiscet humori, & per aridam quandam terrenamque vim humorem percolans, unaque ad motum calore utens, efficit, ut humor quidam illo quodam modo affectus resultet. Estque sapor ea affectio quae à siccitate, quam dixi, in humore gignitur, quadam commutatione efficiens, ut gustatus qui esse poterat, reipsa sit. Quod enim sentiendi vim habet, id ab illa affectione quae in eo inesse antè potest eò deducitur: praesertim cum illud ipsum sentire, non ex habitu ut scientia, sed ex usu & actione, ut contemplatio spectetur. Sapoires autem non cuiusvis humoris, sed eius qui alendi vim habeat, affectionem esse aut priuationem, hinc intelligi licet, quòd nec siccitas sine humore, nec humor sine siccitate constare ullo modo potest. Nihil enim eorum per se animantibus cibus est, sed quod ex his permixtum, concretumque est. Suntque eorum quae ad animantium victum adhibentur, ea quidem quae cum mouentia sensus sint, sub tactum cadunt, efficientes causae & accessionis & abscissionis. Horum enim causa est id quod adhibetur, qua ex parte caloris & frigoris est particeps. faciunt enim haec ipsa, ut animalia crescant & senescant. Alit autem id quod adhibetur, quatenus gustatum mouere potest, propterea quòd dulci sapore, vel omnino, vel alio adiuncto & permixto aluntur omnia. Ac de iis quidem in libris de Ortu differendum erit accuratius: nunc vero quantum necesse est, ea attingenda sunt. Calor quidem auget conficitque cibum, atque id quod leuitate praestat, ad se trahit & allicit. Id autem quod falsum & amarum est propter grauitatem respuit. Quòdque corporibus externis calor qui extrinsecus adhibetur, facit, idem in natura animantium, & eorum quae terra eduntur praestat. Itaque dulci succo aluntur. Adhibentur autem caeteri saporis eodem modo in victu quo falsum & acidum, ut sint veluti condimenta, quae ipsa admiscuntur propter repugnantiam, quòd dulcedo praeter modum alat, emineatque in summo. Quemadmodum autem colores ex albi nigrique temperatione existunt, sic ex

dulci & amaro, saporis. Ac singuli quidem pro maioris & minoris proportione nascuntur, siue certum quendam in his numerum permiscendo, siue incertum sequamur. Qui autem ex permixtione orti voluptatem afferunt, ij certum sibi numerum tantum proponunt. Ac pinguis quidem, saporis dulcis est genus quoddam. Salsus autem & amarus ferè idè efficiunt. Acer verò, austerus, acerbus & acidus, his interiecti sunt. ferè enim totidem sunt saporum genera, quot colorum. Septem enim genera vtraque ex parte constitui possunt, vt rectè fuscum nigrum quendam colorem esse dicamus. Ita relinquitur rutilum albi genus esse, vt pinguem saporem dulcedinis. Phœniceus autem purpureus, prasinus, & cæruleus medium locum inter album nigrumque obtinent. Alij verò ex his mixti temperatique sunt. Atque vt nigror in re perlucida candoris, sic salsus & amarus sapor dulcedinis in cibo humido priuatio est. Itaque eorum omnium quæ exuruntur cinis amarulentus est, propterea quòd ex eis euauit id quod potioni aptum erat. Democritus verò iique omnes ferè physici qui de sensu differunt, absurdissimum quiddam faciunt. Omnia enim quæ sensus mouentia sunt, sub tactum cadere asseuerant. Quod si ita esset, profectò vnusquisque alius sensus tactus quidam esset. quod fieri non posse, facile intelligi potest. Præterea iis omnibus quæ omnium sensuum communia sunt, vt propriis vtuntur. Magnitudo enim, figura, asperitas, & leuitas, præterea quæ sunt acuta & retusa in magnitudinibus, ea sensuum sunt, si minus omnium, at certè aspectus & tactus communia. Itaque cum de his aliquid iudicant, errant: cum de propriis, non errant: vt aspectus in colore, & auditus in sonis. Sunt qui ea quæ propriè sensibus obiiciuntur, ad hæc referant, vt Democritus. Is enim candorem & atrorem, hunc asperitatem, illum leuitatem, esse dicit. Succos verò & saporis ad figuras refert. Atqui vel nullius sensus, vel certè aspectus est maximè, communia internoscere. Quòd si fortè gustatus est potius, certè hoc intelligendum est, eius esse sensus cuius acerrimum sit iudicium, ea quæ in quoque genere minima sint, internoscere. Ita fit, vt gustatum oporteat, & aliorum quæ communia sint, sensum maximè habere, & in figuris plurimum valere iudicando. Præterea cum ea omnia quæ sub sensum cadunt, inter se contraria sint, vt in

ut in colore candor nigrori contrarius est, & in succis ac saporibus dulcis amaro, tamen figura figuræ contraria non videtur. Cui enim earum figurarum quæ multis angulis constant, ea quæ rotunda est, contraria sit? Iam cum figurarum incertus infinitusque sit numerus, saporum etiam infinitus sit necesse est. quod sanè fieri non potest. Cur enim aliquis sapor sensum afficiet, alius non afficiet? Ac de sapore & re quæ gustatum mouet dictum sit. Aliæ enim saporum affectiones in ea parte physica quæ de rebus quas terra fundit, disputat, propriam habent disputationem. Eodem autem Cap. 5. modo de odoribus etiam iudicandum est. Quod enim in humore siccitas facit, hoc in alio genere humor sapidus efficit, in aëre & aqua eodem modo. In quibus nunc quidem id quod perlucidum est, commune dicimus. Sed sub odoratus sensum cadit id quod perlucidum est, non quia perlucidum est, sed quatenus vim habet diluendæ, & diffundendæ siccitatis sapidæ. Neque enim in aëre modo, verum etiam in aqua odoratus versatur. idque in piscibus & iis quæ testa obducta sunt, animaduerti licet. Olfaciunt enim cum nec aër in aqua ullus sit, (eminet enim aër cum inest) nec ipsi pisces respirent. Quòd si quis & aëra & aquam humida esse ponat, profectò odor erit sapidæ siccitatis in humido consistens natura quædam: & odoratum moueat, id quod tale sit, necesse est. Affectionem autem eam à re quæ saporem habeat proficisci, ex iis quæ odore prædita sunt, & quæ non sunt, intelligi potest. Elementa enim, ut ignis, ut aër, ut aqua, ut terra odore carent, propterea quòd ea quæ arida sunt & humida, saporis nullius sint, nisi quid admixtum efficiat. Itaque mare, quoniam sapore & ariditate præditum est, odorem habet: & sal magis odore præditum est, quam nitrum, quod oleum id quod ex eis elicitur, indicat. Nitrum autem terræ magis naturam imitatur. præterea lapides quoniam saporis nullius sunt, odoratus sensum non afficiunt: ligna autem cum saporem habeant, odorem efflant, atque eorum eam minorem, quæ aquæ copia abundant: præterea eorum quæ eliciuntur è terra, aurum quidem quoniã omni sapore caret, nullius est odoris particeps. Aes autem & ferrum id re sunt prædita. Cum verò igne humor cõsumitur, omnium feces, scorias Græci vocant, minus redolent. Argëntum porrò & stannum hæc odore vincunt, ab illis ipsa superantur,

quoniam aquea sunt. Videtur autem nonnullis, exhalatio quædam
 fumida odor esse, quæ sit terræ aërisq; communis. Atque omnes cū
 de odore differunt, ita sentiunt. Itaque Heraclitus in ea fuit sen-
 tentia, ut omnia quæ in natura rerum sunt, si fumi naturam indu-
 cerent, à naribus internosci posse diceret. Omnes autem cū de odo-
 re dicunt, ita sentiunt, ut alij vaporem, alij expirationem, quidam
 vtrumque esse ponant. quorum vapor humor quidam est, expira-
 tio fumi speciem gerens, quemadmodum dixi, aëris & terræ com-
 munis est. Et ex illo aqua conglobatur & cogitur, ex hac quoddam
 terræ genus. Sed fieri non potest, ut odor horū alterutrum sit, cū
 præsertim vapor ad aquam pertineat, & exhalatio fumi speciem
 præbens, in aqua non possit existere, & odoratui, ut antè dictum
 est, in aqua locus relinquatur. præterea cū exhalatio eodem modo
 quo fluxio dicatur, profectò si nec illa rectè, ne hæc quidem rectè di-
 citur. Ac illud quidem non est dubium, quin humor, & is qui in
 aëre, & is qui in aqua sit recipere possit, & quodam modo affici
 ab ea siccitate, quæ sapore sit prædita. Aër enim humidus est na-
 tura sua. Iam verò si idem facit in rebus humidis & in aëre, ea
 quæ eluitur siccitas, certè quædam inter odores ac saporos simili-
 tudo & comparatio sit necesse est. imò verò in nonnullis ita
 accidit. Nam & acres & dulces sunt odores, & austeri, & acidi,
 & pingues, & amaris putidi ac cariosi quadam similitudine re-
 spondere dici possunt. Itaque quemadmodum illi gustatui cū ca-
 piuntur, dolorem afferunt, sic cariosa omnia odore tetro sensum af-
 ficere solent. Ex quo perspicuum est, quod in aqua sapor est, id in
 aëre & aqua odorè esse, ob eamq; causam frigus & congelatio tum
 saporos labefactant, tum odores. præsertim cū calorem qui est cau-
 sa efficiens & author, frigus gelūq; delet. Genera autem eorū quæ
 odoratus sensum mouent, duo sunt. Neque enim, ut aiunt quidam,
 genera non sunt eorum quæ sub odoratum cadunt, sed sunt. expla-
 nandum autem est, & quatenus sunt, & quatenus non sunt. Eo-
 rum enim vnum genus pro saporum varietate, quemadmodum di-
 xi, definitum est, voluptatēque ac dolorem non per se, sed aliena
 vi afferunt. Quoniam enim eius quod pro cibo esse possit, odor ille
 affectio est, desiderantibus quidem cibos, huiusmodi odores delecta-
 tionem afferunt, satiatis autē & nihil eos requirentibus, nec iucun-
 di

di sunt odores, imò verò nec ipsi cibi vnde efflantur illi odores, vltam iis afferunt voluptatem. Ita hi quidem, iam, vt dixi, non per se, sed aliunde, suauitate, aut asperitate, sensum mouent. Itaque cõmunes sunt animantium omnium. Est verò & aliud genus odorũ, qui per se ac vi sua voluptate afficiunt, vt ij qui efflantur è floribus. Neque enim magis, neque minus ad cibum inuitant, nec ciborum appetitum famemque adiuant, sed contrà potius eam impediunt. Verum enim est, id quod in Euripidem false dixit Stratis,

„ Cũ lens coquitur, vnguenti nil infundito.

Qui autem huiusmodi odores nunc potionibus admiscent, consuetudine voluptati vim afferunt, quoad voluptas quasi vna & ab vno sensu profecta, ex duobus sensibus oriatur. Atque hoc quidem genus eorum quæ olfaciendi sensum mouent, hominis est proprium. Quod autem ex saporum varietate ductum est, id alia etiam animantia, vt antè diximus, attingit. Et illorum quidem genera, quoniam sensum non per se suauitate mouent, pro succorum saporũque varietate distincta sunt: horum non item, propterea quòd eorum natura per se voluptatem pariat aut dolorem. Cur autem hic odor voluptatẽ propriè homini afferat, cerebri frigus causa est. Nam cũ frigidum sit cerebrum natura sua, isque sanguis qui in ipso continetur, in minutis venis insit, tenuis ille quidem & purus, sed frigoris incommodis opportunus (vnde etiam fit, vt ciborum halitus in eo loco refrigeratus, morbos qui rheumata dicuntur, pariat) hac sanè de causa hoc genus odorum ad valetudinis presidium hominum generi datũ est. neque enim aliud eius munus & opus est, idque perspicuè exequitur. Nam cũ cibus & aridus & humidus, qui etiam voluptate sensus mouet, sæpe morborũ causas afferat, is tamen qui propter odorem, qui vi naturæque sua suavis est, iucunditatem habet, vtilitatẽ semper hominibus vtcũque se habeant, afferre solet. Ob eamq; causam respiratione sensus eius oritur non omnibus, sed hominibus, & eorum quæ sanguinem habent, quadrupedibus, iisq; omnibus quæ aëris natura magis vtũtur. Nam cum ad cerebrum odores leuitate caloris qui in eis inest, feruntur, tum magis valent eæ partes quæ eo loco continentur, præsertim cũ odor suapte natura vim caloris habeat. Natura autẽ respirationis vsum duabus de causis adhibuit: ex instituto

B.ij.

quidem ad pectoris praesidium, praeter institutum autem & obiter, ad odorem. Cum enim respiratur, quasi transitu quodam per nares motum affert. Proprium est autem hominis naturae hoc genus odoris, propterea quod ei cerebrum datum est inter omnia animantia, habita magnitudinis corporis ratione, maximum & humidissimum. Ob eam enim causam solus homo ex animantibus sensum habet, voluptatemque percipit odorum, qui e floribus aliisque eiusdem generis efflantur. modum enim quendam & temperationem affert eorum, & calor & motus humori ac frigori, quorum pars illo copia abundat. Aliis autem animantibus, quae pulmonem habent per respirationem, alterius generis odoris sensum natura dedit, ut ne duas sensus sedes faceret. Satis enim est, quoniam respirant, ut respirando, quemadmodum homines utriusque eorum quae odoratum mouent, sic haec alterius tantum sensum habeant. Quae autem non respirant, ea non est dubium, quin sensum habeant eorum quae narium sensum mouent. Nam & pisces, & omne genus eorum animantium quae incisuris constant, acriter ac longe per genus odoris quod ad victum pertinet, etiam cum procul valde remota sunt, proprium ac familiarem naturae suae cibum praesentiunt. Ut apes mel sentiunt, & longarum formicarum genus, quas nonnulli culices vocant, & purpurae marinae, multaque animalia eiusdem generis, quae acriter pastum odore illecta praesentiunt. Sed quo sentiant, non ita perspicuum est. Itaque quaeri potest, quare odoris sensum habeant, si modo in iis quae respirant odoris sensus vno modo reperiatur. hoc enim in iis omnibus quae respirant, videtur contingere. Illorum vero nullum respirat, quanquam sensum habent odoris. nisi forte quidam alius sensus praeter quinque esse ponatur: quod fieri non potest, quippe cum odoratus in re quae odoratum mouet, versetur. Illa vero odoris sensum habent, non tamen eodem fortassis modo, sed iis quae respirant, spiritus cum ducitur id quod tegit quasi quoddam operculum, adimit, ob eamque causam nihil olfaciunt nisi respirent. iis autem quibus respirandi non est datum beneficium, hoc ipsum negatum est: quemadmodum oculis contingit, in quibus quaedam animalia palpebras habent, quae nisi aperiantur, cernere non possunt, alia autem iis carent, ea quae oculos corneolos habent. Itaque nihil requirunt, quod oculos aperiat, sed cernunt protinus ex

eo spacio ex quo eis despiciendi facultas concessa est. Eodemq; modo alia animantia omnia eorum quae ipsa per se iniucundi odoris sunt, odore nihil offenduntur, nisi forte vim interimendi habeat. Ab iis autem quae eam vim habent, non secus offenduntur, atque hominibus caput carbonum vapore obtunditur, & interimuntur saepenumero. Sic sulphuris & bituminis vi, & aliarum rerum eiusdem generis, interimuntur alia animalia, eaque fugiunt propter malum quod afferunt. Alioqui odore qui per se iniucundus est omnino non moventur, quanquam multa eorum quae gignuntur è terra, tetri odoris sunt, nisi ad eorum pastum pertineant. Sensusque olfaciendi, cum impar sit sensuum numerus, & impar numerus medio quodam constet, videtur & inter eos qui tactu munere suo funguntur, ut tactus & gustatus, & inter eos qui alia interiecta re munus suum exequuntur, cuiusmodi sunt aspectus & auditus, medium locum obtinere. Itaque id quod odoratum mouet, quaedam est eorum quae ad victum pertinent, affectio. Haec autem vnum quoddam genus constituunt. Itemque eorum quae sub auditum & aspectum cadunt. Itaque & in aere, & in aqua odoris sensus percipitur. Ita fit, ut ea quae odoratum mouent, quiddam commune cum utroque horum habeant, quod etiam & in ea quae tactu & in ea quae auditione percipiuntur, & in res perlucidas cadit. Quocirca recte per quandam similitudinem traditum est, id quod odoratui subiectum sit, quasi quandam siccitatis in humore & re fluida esse tinctionem & colluionem. Quo igitur modo dicenda sint, quoque modo dicenda non sint eorum genera quae odoratum mouent, haecenus dictum sit. Quod autem nonnulli Pythagorei tradunt, nonnulla esse animalia, quae odore victitent, id non est consentaneum. primum enim cibum concretum esse oportere cernimus: praesertim cum ea quae nutriuntur, simplicia non sint. Itaque cibi reliquiae vel in nobis ipsis, vel extra nos, ut in iis quae oriuntur è terra, eueniunt. Deinde ne aqua quidem ipsa sola, nisi sit admixta, alendi vim habet. Corporeum enim quiddam sit oportet id quod coagmentari & cogi debeat, praeterea multo minus consentaneum est aera in corpus cogi atque coalescere. Quod etiam hinc sciri licet, quia omnibus animantibus locus cibus recipiendis datus est, ex quo trahendo corpus alimentum sumit. Eorum autem

Cap. 6.

quæ odoratum mouent, cum in capite locus & sedes sit. Et quoniã cum vapore spiritus naturam imitãte introeat, fit, vt ad locum respirationis ire debeat. Ac illud quidem perspicuum est, ea quæ odorati subiecta sint, ipsa per se qua ex parte odoratum moueãt, nihil ad cibum victumque pertinere. Ad valetudinem autem eadem conducere & sensu perspicui potest, & ex iis quæ dicta sunt. Itaque quam vim habet sapor in eo quo vescimur & ad ea quæ aluntur, eandem etiam id quod odoratum mouet, ad valetudinem obtinet. Ac sigillatim quidem de vnoquoque sensu dictum sit hoc modo. Quæri autem hoc loco licet si omne corpus infinite secari potest, an ea etiam quæ sensum mouent, vt color, sapor, odor, sonus, grauitas, frigus, calor, leuitas, durities, & mollicies, possint, nec ne. Est enim vnumquodque eorum sensus efficiens: præsertim cum ex eo omnia dicantur, quod sensum mouere possint. Ita necesse est si vis ipsa, etiam sensum infinite diuidi, & omne quod cadat sub sensum, magnitudinem esse. Fieri enim non potest, vt candor cernatur, quin magnitudo quoque videatur. Si enim ita non est, corpus aliquod esse poterit, quod nec colorem habeat nec grauitatem, neque vllam aliam talem affectionem. Ita ne sub sensum quidem cadet omnino. quippe cum talia sint ea quæ sub sensum cadunt. Quod ergo sensum mouet, concretum erit ex iis quæ sensui non subiiciuntur. Atqui illud necesse est. neque enim ex mathematicis rebus constare vlllo modo potest. præterea quo tandem hæc ipsa iudicabimus & cognoscemus? An mente? At non animo & ratione cernuntur ea quæ extra sunt, nec ea mens intelligit, nisi cum sensu coniuncta sint, sensusque adhibeatur. Quæ si ita sunt, iis qui magnitudines indiuiduas faciunt, assentiri videntur. Sic enim ratio explicabitur. Sed fieri non potest. De his autem in libris de Motu dictum est. De eorum autem explicatione vt dicamus, hoc etiam simul perspicuum erit, quamobrem certo numero conclusa & terminata sunt genera colorum, saporum, sonorum, aliarumque rerum quæ sensum mouent. Quorum enim extrema sunt, eorum intimæ partes finitæ sint necesse est. Extrema autem sunt contraria: & omnia quæ sensu comprehenduntur, repugnantes res completuntur, vt in colore albus & niger est, in saporibus dulcis & amarus, atque etiam in cæteris omnibus contraria extrema versantur.

*tur. Ac cohaerens quidem & continuata natura infinite in partes
 inequales secatur, in pares autem certo numero comprehensas. Quod
 autem per se non cohaeret & continuatur, in certa genera diuidi-
 tur. Quoniam igitur affectiones proprietatesque pro formis qui-
 busdam sunt habenda, estque in his sempiterna quaedam consequen-
 tia & continuatio, profecto illud intelligendum est, aliud esse, posse
 esse, aliud reipsa esse. Ob eamque causam fugit aciem oculorum mil-
 lesima pars milij, cum cernitur, etsi aspectus totam milij magnitu-
 dinem percurrit, sonusque is qui in diesi est auditum fugit: &
 quanquam ipse totum cantum & continuum exaudit, tamen in-
 ternallum quod interiectum est inter extremos, non percipit. Quod
 de aliorum quae sensum mouent, minima quaque parte iudicandum
 est eodem modo. Eae enim partes eam vim habent, ut cerni possint,
 re autem ipsa tum denique cernuntur, cum secretae separateque
 sunt. Etenim pedalem lineam bipedalis vi sua in se continet, quae
 eadem reipsa est, iam adhibita diuisione. Separate autem tantillae
 praestantiae recte in ea quae eas continent, dissoluuntur non aliter,
 ac si succus exiguus in mare infusus sit. Sed quoniam sensus exu-
 peratio nec per se sensum mouet nec separata consistit (praestan-
 tiam enim semper vi sua in se continet subtilior sensus) fit etiam ut
 hoc tantillum quod sensui subiectum est, cum separatum quidem erit,
 reipsa cerni non possit, cum interim sub sensum cadat. Cum enim
 iam eam vim habeat ut sensu percipi possit, reipsa percipietur si
 coniunctum fuerit cum toto. Ac illud quidem docuimus, esse magni-
 tudines affectionesque quasdam, quae sensus fugiant, & cur ita
 fiat, & quatenus sensu percipiantur & quatenus non percipian-
 tur. Cum autem in aliqua re insunt tam magnae partes, ut etiam
 reipsa sentiantur, nec solum in toto, sed etiam separatim quae ex
 parte numero finitae sunt, necesse est numero etiam concludi & co-
 lores, & sapes, & sonos. Quæret autem aliquis, nunquid aut ea
 quae sensus mouentia sunt, aut motus ij qui ab iis quae subiiciun-
 tur, gignuntur, (utrouis modo sensus fiat) cum munere suo fun-
 guntur, ad medium primum perueniant? id quod odor & sonus
 facere videntur. Nam & is qui propior est, prior etiam odo-
 ris sensum percipit, & sonus ad auditum post ictum peruenit.
 Quæri ergo potest, itane res habeat in iis quae sub aspectum cadunt,
 B.iiij.*

& in lumine. Quemadmodum etiam Empedocles ait, prius lumen id quod sol effundit, ad medium, quàm ad oculos & terram peruenire. Quod quidem non iniuria euenire videatur. Nam cum id quod motu cietur ex aliquo in aliud moueatur, fit, vt tempus sit aliquid, in quod illud ex alio in aliud mouetur. Cumque tempus omne diuidatur, erat cum nondum cerneretur, sed in medio aëre radius adhuc ferretur. Et quanquam omnia audiunt simul & audierunt, omninoque sensum habent & habuerunt, neque est vlla eorum origo & generatio, sed eam naturam habent, vt sint cum neque fiant neque generentur. Nihilominus in sono hoc animaduerti licet, pulsa iam re, nondum aures pulsare & ferire: id quod aperte indicat literarum in pronunciando efformatio, quasi quidam motus in medio oriatur. Neque enim id quod prolatum est, exaudire saepe videmur, propterea quod aërem qui mouetur, certo quodam modo efformari oporteat. An igitur ita res habet in colore & lumine? Neque enim ex eo quod quodam modo affecta sunt, hoc cernit, illud cernitur, quasi equalia sint. Non enim alicubi vtrumque esse oporteret, quippe cum in iis quæ æqua & paria sunt nihil referat, sint ne propinqua inter se, an remota. An consentaneum est hoc ipsum in sonis & odoribus contingere? Habent enim sicut aër & aqua coherentem naturam, sed tamen vtriusque eorum motus partibus constant. Itaque fit vt tum idem tum non idem primus ac secundus exaudiat & olfaciat. Vnde hæc etiam nonnullis dubitationem afferunt. Negant enim fieri posse quidam, vt alius idem audiat, cernat & olfaciat, quod alius. Non enim multos & remotos inter se idem audire ac olfacere posset. Vnum enim ipsum à se distractum alienumque esset. An quod attinet ad eam rem quæ prima sensum mouet, vt tintinabulum & thus, & ignem, eandem vnamque numero, omnes sensu percipiunt: quod verò attinet ad eam quæ singulorum iam propria est, eam aliam numero, speciei autem eiusdem sentiunt? Itaque multi simul & cernunt & olfaciunt, & audiunt. Sed hæc ipsa nec corpora sunt, verum affectiones quædam & motus, (neque enim hoc eueniret) nec vacant corpore. At luminis alia ratio est. Lumen enim quædam natura est, quæ est, non motus quidam. Nec verò eadem ratio commutationis est, & loci mutationis. Loci enim mutationes rectè in medium primò perueniunt

ueniunt: & sonus motus quidam videtur esse rei alicuius quæ deferatur. Quæ autem commutantur, non iam ita habent: fieri enim potest, ut vniuerse & confertim aliqua commutentur, non dimidia pars primò, ut aqua simul congelatur. Quanquam si qua res magna cõcalesienda est, & cogenda, ea pars quæ propinqua erit, à propinqua affici solet, & à re quæ vim habet commutandi, primùm mutatur: neque necesse est simul totam immutari. Atque etiam sapes eandem vim haberent hac in parte, si in humore versaremur, quam odores, quos etiam longiore intervallo antequam tãgeremus sensu perciperemus. Nec sine causa ij sensus non continuo afficiuntur, quibus sentiendi sedes per medium patitur, præterquã à lumine, propter eam causam quam attuli. Quod eodem modo de aspectu iudicandum est, quandoquidem lumen causa est cur cernamus. Existit etiam quedam talis quæstio de sensibus, utrum Cap. 7. due res simul eodem, eoque indiuiduo tempore sensu percipi, necne possint. Maior quidem motus ac vehementior, minorem obscurat & obruit. Itaque siquid oculis obiiciatur, id percipere & sentire non solemus, quoties acriter animum in aliquam rem intendimus vel pertimescimus, vel magnum sonum exaudimus. Idque positum sit. Illud etiam, nos vniuscuiusque rei cum simplex est, magis sensu affici quàm cum permixta & cõcreta est, veluti vinum merum, quàm dilutum, & mel simplex, atque color facilius sensus nostros afficiunt, itémque nete sola, quàm cum est in modo qui diapason nuncupatur, propterea quòd aliud ab alio obruitur. Hoc autem ea faciunt, ex quibus vnum aliquid efficitur. Si igitur maior motus minorem obscurat, eundem necesse est, si cõiuncti sint, minus quàm si solus esset, sensum mouere & afficere. Vis enim aliqua minori motui detrahatur, cum permixtus est cum altero, si modo simplicia omnia plus ad mouendos sensus valent. Quòd si fortè pares sint atq; diuersi, ne alterius quidem sensus erit, præsertim cum alter alterum æquè obruat & obscuret. Simplex autem non æquè sentiri potest. ob eamque causam vel nullum sensum faciet, vel alium ex vtrisque consurgentem: quod quidem fieri videtur ex rebus quæ permiscuntur, quacunque temperentur. Quoniam igitur ex quibusdam aliquid nascitur, ex aliis non nascitur, cuiusmodi sunt, quæ diuerso sensui subiiciuntur (permiscuntur enim ea quorum extrema con-

traria sunt, ex candore autem & acuto nihil unum fieri potest, nisi improprie & casu, non quemadmodum ex acuto & graui cōcentus fit ut ne eorum quidem sensu vna affici possimus. Motus enim si pares sint, alius alium obruit, quandoquidem non vnus ex iis componitur. Sin impares sint, vehementior sensum faciet. Iam potius duas res animus vno sensu percipere potest, quorum vnus est sensus, ut acutum & grauem sonum. Magis enim simul vnus, quam duorum sensuum, ut aspectus & auditus, motus existit. Vno autem sensu duæ res percipi non possunt, nisi inter se misceantur. Permixtio enim vnum quiddam est, & vnus vnus est sensus, vnus porrò hic simul fit. Ita fit, ut ea quæ permixta sunt simul sentiatur necessariò, quòd vno sensu qui munere suo fugitur, percipiantur. Vnam enim in rem numero sensus vnus qui est, reipsa intenditur: specie autem vnum est, in quo vnus sensus versatur, qui ex vi & facultate intelligitur. Quòd si vnus sensus est reipsa, qui illa vnum esse dicit, ut ea mixta sint necesse est. Cùm ergo inter se permixta & confusa non erunt, duo sensus erunt, qui suo munere fungantur. Atqui ab vna vi vno puncto temporis, vnam esse actionem necesse est: præsertim cùm vna vis & facultas, non plusquam vnum vsum motumque semel habeat. Hic verò vna est vis ac facultas. fieri ergo non potest, ut duæ res simul vno sensu cōprehendantur. Quòd si ea quæ eidem sensui subiiciuntur, nō possunt, si duo sint, certè multo minus ea quæ duobus sensibus proposita sunt, ut alba & dulcia, simul sentiri possunt. Videtur enim animus id quod vnum numero est, non aliter nisi puncto temporis iudicare, cùm id quod vnus speciei est, sensu adhibente iudicium, modòque adhibito iudicet. Quod ita intellectum volo, ut dicam alba & nigra quæ certè specie differunt, dulciàque & amara, eundem ita diiudicare, ut nihil à seipso, ab illo autem differat. Verùm vtrumque contrariorum alio atque alio modo iudicant, cùm tamē eodem modo ad se quidem comparati iudicent ea quæ in ordine sibi inuicem respondent: ut, exempli gratia, gustatus ad dulcia, ita ad alba se habet aspectus: ut autem hic atra, sic ille amara iudicat. Præterea si contrariorum motus contrarij sunt & simul contraria in eodem, eoque indiuiduo inesse non possunt, vnòque sensui contraria, ut dulce & amarum subiiciuntur, profectò fieri nō potest, ut

ut hæc ipsa simul sensu comprehendantur. Quod eodem modo in
 iis quæ cōtraria non sunt, animaduerti licet. Alij enim colores cā-
 dorem, alij atrorem imitantur: aliorúmque etiam eadem ratio esse vi-
 detur, veluti sapes partim ad dulcē, partim ad amarū accedunt.
 Nec verò ea quæ ex aliis temperata & confusa sunt, simul senti-
 ri possunt, quoniam contrariorū rationes sunt, veluti modus is qui
 diapason, & is qui diapente dicitur, nisi fortè ut vnum sensu com-
 prehendantur, quo quidem modo extremorum vna ratio fit. Ali-
 ter autem non. Sic enim erit simul illa quidem multorum cum pau-
 cis, vel imparis numeri cum pari proportio, hæc autem paucorū
 cum paucis vel paris cum impare. Si igitur magis inter se distant
 ea quæ coniugata illa quidem dicuntur, sed ad diuersa genera per-
 tinent, quàm ea quæ in eodem genere sunt, veluti dulcia & alba
 coniugata appello, genere autem differentia, profectò dulcia &
 nigra maiorem habent, quàm dulcia & alba, generis distinctio-
 nem: & præterea multo minus simul eadem, quàm illa quæ generis
 eiusdem sunt, sentiri poterunt. Ita si non hæc ipsa, ne illa quidem
 poterunt. Quòd autem proferunt quidam eorum qui in concentuū
 ratione versantur, sonos non simul quidem ad sensum peruenire,
 videri autem, etsi sensum fugiant, cum tempus sensu percipi non
 potest, id quæri potest, rectène an secus asseratur. Dicat enim for-
 tasse quispiam etiam nunc, ex eo videri simul cernique aliquid, &
 audiri, quòd interualla temporis nos effugiant. An non ita est? nec
 vllum tempus fugere sensum potest, aut latere nos, sed omne sensu
 comprehendi potest? Si enim cum aliquis sui ipsius sensum habet,
 aut alterius, continuo tempore, non potest tum se esse, ignorare, éstque
 aliquod in continuo tempore tantum, quantum planè sensum effu-
 gere possit, profectò ipse an sit omnino ignorabit, & an cernat nõ
 sentiet, & sentiet tamen. Præterea non erit nec tempus, in quo tu
 aliter sensu percipias, quàm quia in eius parte aliqua: nec res vlla
 sensu percipietur, nisi quòd tu eius aliquam partem cernas, si qua
 sit modò & temporis & rei magnitudo, quæ sub sensum propter
 paruitatem non cadat. Si enim rem totam cernat, totúmque tempus
 ita cōtinenter sentiat, non quòd in eius aliqua parte, aut quòd eius
 partem quandam intueatur: si modò sit aliqua magnitudo, detra-
 hatur B C, quæ est portio non cadens sub sensum, certè in huius

parte quadam, vel eius partem aliquam, veluti terram totam cernit, quòd eius partem videt, & annuo tempore ambulat, quòd hac eius parte. Atqui in *BC* nihil sensu cõprehendit. Eò igitur quòd in aliqua huius parte *AB* sentit, totius sensum habere dicitur. Eadem etiam in *AC* ratio valet. Semper enim & in aliqua temporis parte, & alicuius rei pars quædam sensu comprehenditur, tota autem comprehendi non potest. Totæ igitur res sub sensum cadunt, sed quantæ ipsæ sint, non apparet. Cùm enim solis magnitudinem quis cernat, & magnitudinem quatuor cubitorum eminus, tamen quanta est, ei non apparet, sed interdum indiuiduum quippiam videtur: id tamen quod videt non est indiuiduum, cuius causa antè cùm de hoc disputarem, allata est. Ex quibus perspicuum est tẽpus esse nullum quod sensum effugere possit. De ea autem questione quæ paulò antè posita est, videndum est, vtrum simul plura sensu comprehendendi, necne possint. Simul autem dico, in vno & indiuiduo tempore. Ac primùm illud quidem querendum est, fierine possit, vt simul quidem, sed alia atque alia animi parte sentiatur, & ita indiuidua, quia totum sit quippiam continuum. An dicendum quòd primùm quidem ea quæ vni sensui, vt aspectui subiecta sunt, simul sentiuntur, siquidẽ aspectus alia parte aliũ colorẽ sentiet, pluresque partes quæ eiusdem sint speciei, habebit. Quæ enim sensu comprehendit, in eodem genere habentur. Quòd si quis hoc afferat, vt sunt duo oculi ita nil prohibere, quin eodem se modo res habeat in animo, dicendum quòd fortasse ex his vnum aliquid efficitur, vnũque est eorum munus & officium. Ibi autem si vnum ex vtroque fiat, illud erit id quod sentit. Sin distinctum erit vtrunque, non eodem modo habebit. Præterea iidem sensus, plures erunt, non secus ac si quis diuersas dissimilẽsque scientias dicat. Neque enim munus sine vi ac facultate ei congruente extabit, nec sine hac ipsa sensus erit. Quòd si horum vno eoque indiuiduo tempore sensum habet, profectò cæterorum etiam habebit. Facilius enim poterat plura huius generis simul, quàm diuersorum generum sensu comprehendere. Si verò alia parte dulcia, alia alba animus sentit, vel id quod ex his conflatur, vnũ est vel non vnum. Atqui vnum sit necesse est. Vnum enim quiddam ea est pars animi, qua sentit. Cuius tandem vnus illud erit? nihil enim ex illis vnum effici-

ficitur. Necesse est igitur vnā aliquam animi partem esse, qua omnia sentiat, quemadmodum antè diximus, ita tamen, vt aliud genus alio sensu percipiat. An igitur qua ex parte aliquid est quod re ipsa indiuiduum, vnum quiddam est quod dulcia & alba sentit? Cùm autem re ipsa diuiditur, aliud atque diuersum est? an quemadmodum in rebus ipsis, sic etiam in animo vsuuenit? Idem enim vnūque numero dulce & album est, & alia pleraque. Affectiones enim proprietatesque rerum si minus inter se secreta separataeque sunt, at certè sua cuique & diuersa ratio ac definitio est. Eodè modo in animo ponendum est, eandem & vnā numero partem esse quae sentiat omnia, naturam autem & rationem aliam atque aliam esse, ita tamen vt aliorum diuersi dissimilisque sit generis, aliorum speciei. Ita animus simul eadem & vna parte, ratione autem non vna sentiet. Illud autem perspicuum est, & magnitudinem esse, & diuidi posse id omne quod sensum moueat. Est enim interuallum vnde res cerni non potest, incertum & immensum: vnde autem cernitur, certum atque finitum. Quod de iis quae sub odoratum & auditum cadunt, quaeque sensum faciunt, cùm ipsa non continguntur, iudicandum est eodem modo. Est igitur aliqua interualli extremitas, vnde res non cernitur, est etiam initium, à quo cernitur. Idque eam vim habeat necesse est, vt diuidi nequeat, vltra quod sensu affici nemo possit, citra verò afficiatur necessario. Quòd si qua res mouēs sensum, diuidi non potest, ea si in extremo collocatur, vnde postremò quidè minimè sensum afficiat, primò autem afficiat, simul fiet vt sub aspectum cadat, & non cadat, quod fieri non potest. Ac partium quidem in quibus sensuum locus est, rerumque quae sensibus subiiciuntur, quae sit ratio & communis & in quoque sensu, diximus. Quod autem ad alia attinet, primùm de memoria, & quid sit meminisse, differendum est.

ARISTOTELIS DE MEMORIA,
ET RECORDATIONE
LIBER.



Decedum est nobis hoc loco quid memoria sit, quidq; meminisse, quid recordari, & qua ex causa oriantur, quaq; in parte animi insint hi motus & affectiones. Neq; enim iude memoria & recordatione poller, sed fere tardiore memoria sunt, recordatione autem plus valet celeritate ingenij pradi, & dociles homines. Ac primum quide dicendū est, quæ memoriæ subiecta sint, quandoquide hoc sepe in errorem impellit. Neq; enim res futuræ memoria cõprehendi possunt, sed opinione expectationeq; cõstant: quanquam possit esse scientia aliqua in rebus quæ sperantur & expectantur, quemadmodum nonnulli diuinationem esse contendunt. Nec verò presentis est memoria, sed sensus: quippe cum hoc ipso nec futura nec præterita cognoscamus, sed modò presentia. Memoria autem præteritorum est. Quod verò præsens est, cum instat & adest, vt exempli causa, hoc quod album est cum cernit, nemo memoria tenere se solet dicere: neque is qui contemplatur atque intelligit, id quod intelligentia & mente cognoscitur, sed illud sensu percipere se dicit: hoc tantum scientia comprehendere. Cum verò remota omni actione, scientiam & sensum rei alicuius habet, tum demum memoria tenet trianguli angulos duobus rectis pares esse, illud quidem propterea quod didicit, vel contemplatus est, hoc verò, quod ita audiuit aut vidit, aut aliquid eiusdem generis. Semper enim cum memoriam ad opus conuertit, tum denique in ipso animo reputat, se hoc antea audiuisse, aut sensu percepisse, aut mente cognosse. Non est igitur memoria sensus, nec opinio, sed alicuius eorum habitus, vel affectio, cum tempus accesserit. Presentium autem in instanti tempore non est quemadmodum etiam antè dictum est, memoria, sed eorum quæ adsunt sensus est, futurorum spes & expectatio, præteritorum memoria. Itaq; memoria omnis cum tempore coniuncta est. Hinc ea sola animantia

mantia quæ sensum habent temporis, memoria prædita sunt, atq; ea ex parte, qua eius sensum habent. Quod autem antea in libris de Animo dictum est, de ea animi parte in qua visa imprimuntur, nec fieri posse, ut sine visis aliquid animo & ratione percipiatur, id verum est: quandoquidem idem vsuuenit cum aliquid intelligentia cernitur, quod in descriptionibus. Ut enim illic, cum illud non adhibeamus, magnitudinem trianguli certam esse, tamen id quod certa magnitudinis est describimus: sic is qui rem animo cernit, & si magnitudinem non intelligit, tamen sibi ob oculos ponit magnitudinem. Sed rem intelligit, non quia magna sit. Quod si qua sit natura magnitudine prædita eaque incerta, proponit quidem sibi finitam ac certam quantitatem, verum qua ex parte quanta est, solum intelligit. Ac quæ sit causa, cur animo percipi non possint, nulla subiecta magnitudine, circumscriptoque tempore, ea quæ in tempore sunt, non est huius disputationis exponere. Quoniam autem magnitudo & motus eo ipso quo etiam tempus, necessario cognoscantur, & visum communis sensus affectio est: illud quidem perspicuum est, primo sentiendi principio tribuendam esse horum cognitionem. Quoniam autem rerum quæ intelligentia cernuntur, memoria constare sine visione nullo modo potest, fit ut ipsa memoria in ea parte animi quæ rationis mentisque est, improprie & per aliud, per se autem in ea quæ primo sensu percipit, versetur. Itaque nonnullis etiam animantibus tributa est, non solum hominibus, atq; iis quæ opinionis participes sint aut providentiæ. Quod si earum partium, quæ sunt mentis atque rationis esset, profecto in aliis animantibus minime reperiretur, ac fortasse in nullo alio ex iis quidem quæ mortalia sunt. Nam ne nunc quidem in omnibus inest, propterea quod non omnes mortales animantes temporis sensum habent. Semper enim cum memoriam ad actionem remque conferunt, simul se hoc prius vidisse aut audiuisse, aut didicisse, (quemadmodum antè dixi) sensum habent. Prius autem & posterius in tempore cernitur. Ac illud quidem perspicuum est si queratur, cuius tandem animi partium memoria sit, eam esse eiusdem cuius sit & visio. Memoriaque percipiuntur per se ea omnia, quæ eam partem animi mouent, in qua visa imprimuntur, per aliud autem ea quæ sine visis constare non possunt. Querat autem fortasse quis-

piam, quâ tandem fieri possit, ut motu animi præsente, & re ab-
 sente in mentem veniat id quod non adest. Perspicuum est enim
 intelligendum esse, eam affectionem quæ per sensum & in animo &
 in ea parte corporis in qua ipse insit gignatur, & cuius habi-
 tum memoriâ esse dicamus, picturæ cuiusdam speciem genere. Mo-
 tio enim ea quæ oritur consignat quasi notam quandam sensorum,
 quemadmodum ij qui aliquid obsignant, annullis faciunt. Quocir-
 ca ij qui in magno motu vel propter animi perturbationes, vel
 propter ætatem versantur, non valent memoria. In his enim per-
 inde fit, ut si in aquam profluentem motus annulusque imprimã-
 tur. In aliis propter frigoris incommoda, sicuti antiqua ædificia,
 & propter duritiem eius partis quæ motum accipit, vestigium &
 & quasi simulacrum non imprimitur. Itaque ij qui admodum pue-
 ri & senes sunt, obliuiosi sunt & immemores. Motu enim agitan-
 tur, illi propter incrementum, hi propter decessionem. Itémq; ij qui
 nimis acuto & qui tardo ingenio sunt, non valent memoria, pro-
 pterea quòd illi humidiores sunt quàm doceat, hi duriores. In non-
 nullorum igitur animis non manet rei species, in aliorum non in-
 sidet nec imprimitur. Sed hoc loco, quæri potest, si in memoria
 hæc omnia cernantur, utrum hanc ipsam affectionem memoria
 teneamus, anne illud à quo nata sit. Si enim hanc, nihil eorum quæ
 absunt memoriæ mādabimus. Sin illud, quâ tandem hæc sentiendo,
 in mētem nobis veniat, illud quod abest quòdque sensu non perci-
 pimus? Ac si est quasi forma & pictura in nobis, cur quæso huius
 ipsius sensus erit alterius memoria, non huius ipsius? Qui enim in
 opere versatur, hanc affectionem memoria repetit & contempla-
 tur & hanc ipsam sentit. Quonam igitur pacto rem absentem me-
 moria complectitur? Hoc enim pacto & cernere licebit id quod nō
 adest, & audire. An fieri potest ut hoc etiam accidat? ut enim de-
 pictum in tabula animal, & animal est & simulacrum, & vnū
 est utrumque, sed non est eadem utriusque ratio & natura, licetque
 illud ipsum & ut animal & ut simulacrum considerare, sic &
 speciem illam quæ in nobis est existimare debemus, & per se aliquā
 esse notitiam, & alterius rei speciem. Quatenus igitur per se cōsi-
 deratur, notio est vel visio, quatenus autem alterius, est illius si-
 mulacrum & monumentum. Itaque cū eius motio in actione oc-
 patur,

cupatur, si quatenus per se est, eatenus animus sentiat, quasi notionem quandam, aut visum videtur tractare: sin quatenus ad aliud refertur, tanquã in pictura, simulacrũ intuetur, vt quasi Coriscum quem non viderit, animo intueatur, tum verò alia est huius cognitionis ratio, alia cum vt animal depictum considerat, in animoq; hoc quasi notio tantummodo, illud autem vt illic simulacrum, memoria dicitur. Ob eãmq; causam interdũ nescimus, cum in animo existunt huiusmodi motiones, à sensibus primũ haustæ, sintne ortæ à sensibus, interdumque vtrum memoria sit necne, dubitamus. Fit etiam interdum vt ita cogitemus, aut nobis veniat in mētem, quòd id antea audierimus, aut viderimus, idque tum demum vsuuenit cum quis rem per se ac solam spectans, ad aliam transfert & accommodat. Contrãque fit nonnunquam quemadmodum Antipheronti Oritæ contigit, aliisq; quorum mens è sua sede dimota est. Quæ enim eorum animis per visum obiecta sunt, ita commemorãt, quasi gesta sint & illis in mentem veniant. quod tum contingit, cum quis id quod non est rei simulacrum, vt speciemrei & simulacrũ intuetur. Cogitatio autem & meditatio memoriã conseruant recolendo, quod aliud est nihil, nisi crebrò intueri rem aliquam nõ per se, sed quatenus alterius simulacrũ est. Ac memoria quidẽ quid sit, quid meminisse, dictum est, id est, visionis quatenus simulacrũ est eius rei cuius est, visio, habitũ. Diximus etiam qua in parte animi sita sit, id est in ea quæ prima sensus est sedes, quãq; temporis sensum habemus. Reliquũ est, vt de recordatione dicamus. Cap. 2. Principio ea omnia quæ in epicherematis, id est rationibus quibus vtramq; in partẽ disputatur, vera sunt, ponẽda sunt vt vera. Neq; enim recordatio memoriæ repetitio, aut susceptio est. Nã cum primũ aut discit quis, aut animo affectionem suscepit, nec memoriã vllam repetit (nulla enim antecessit) nec ab initio percipit. Cũ verò habitus iam susceptus est, aut motus animi, tum deniq; memoria est. Ex quo efficitur, eam cum motu animi qui oritur minimè oriri atque gigni. Præterea cum primũ facta est motio in vltimo illo indiuiduòq; temporis puncto, iam inest in patiente affectio & scientia (si modò habitus aut motus animi scientiæ nomine appellandus est). Nihil autem prohibet, nos nonnullorum etiam, aliena quidẽ vi memoriã habere, quæ sciamus, cum interim memoria per sese


non inest, antè quàm longinquitate temporis confirmata sit. Meminit enim vnusquisque hoc tempore, quod antea intellexit, & mente percepit: non quod modò animo percepit, nūc meminit. Hoc etiã perspicuum est, fieri posse vt is meminerit, qui nō hoc tempore recordetur: si ab initio sensu motūue animi fuerit affectus. At cū animo quis repetit eam, qua prius præditus fuerit, scientiam vel sensum, aut id cuius habitum memoriam diximus, tum deniq; & hoc ipsum est aliquid eorum quæ dicta sunt, recordari. Accedit tamen vt recordatio memoriam, & recordari id quod est meminisse consequatur. neq; verò illa omnino ac planè, si prius in animo fuerint rursus oriuntur: interdumque ita est, interdum non est. Fieri enim potest, vt idem eandem rem bis & discat & inueniat. Differat igitur ab iis recordari necesse est: vt maiora insint rei principia in reminiscendo quàm in discendo oportet. Recordatio autem tum denique accidit & efficitur, cū motus vnus animi eam vim habet, vt alterum consequatur: si necessariò, hoc perspicuum est, cū ille pulsus est, fore vt hic etiam sit: si non necessariò, sed consuetudine, fore vt plerūq; moueatur. fit autem interdum vt nonnulli semel commoti facilius, quàm alij sæpe, assuescant. Itaq; cū nonnullas res semel aspeximus, firmior & cōstantior in nobis earū memoria manet, quàm aliarū, quas crebro aspectu cōsiderauimus. Ergo cū recordamur, eatenus à prioribus quibusdā motibus permouemur, quoad ab aliquo animi motu pellamur, quem ille sequi solet. Itaque id quod deinceps sequitur, ex re que præstò est, aut ex aliqua alia, aut ex simili aut contraria, aut etiam finitima inuestigamus & persequimur, ex eoque recordatio existit. quarūdam enim rerum ex his, motus ijdem sunt, aliarum eodem tempore oriuntur, nonnullarum alter alterius partem habent, ita vt quod restat, perexiguum sit, cuius pulsus post illum sequitur. Atque hoc quidē modo homines quærendo recordari solent. Alio autem modo etiam solent, absq; illa inuestigatione reminisci, cū alterū statim motū sequitur recordatio. Sed ferè antegressis multis motibus quos diximus, existere solet recordatio. Nihil autē attinet cōsiderare quonā modo rerum remotarum memoriam comprehendamus, sed satis est, si finitimarum. perspicuum est enim, eandem rationem esse, qua omnes ea commemorent quæ ordine quodam cōsequuntur, cū nec

muc-

investigatio vlla, nec recordatio in eis antegressa sit. Consuetudine enim motus animi alij alios, vt hic illum sequuntur. Cùm ergo recordari vult vnusquisque, hoc faciet, quærétque quemadmodum principium motus animi reperire possit, quem ille consequatur. Itaq; celerrimè atque præclarissimè ducuntur à principio recordationes. Quam enim res inter se habent ordinis rationem, eandem etiã motus animi habent. Quædamque facilè memoria comprehendi possunt, ea quæ ordine quodam constant, cuiusmodi sunt disciplinæ atque artes: alia perdifficiliter. Hoc etiam recordari ab iterum discendo differt, quòd cùm recordatur homo, quodam modo potest per se moueri ad ea quæ principium sequuntur, cùm non potest per se, sed aliena vi & ope eget, non iam meminit. Plerunque iam non potest ille quidem recordari, sed tamen quærere potest, & inuenit, quod iis vsuuenit potissimum, qui multa mouent & agunt, dum ad eum motum perueniant, quem res ipsa cõsequatur. Meminisse enim est inesse vim quæ moueat, idq; ita, vt à se ipso iisq; impulsio- nibus, quas in se habet, moueatur. Sed exordiũ capiendum est. Itaq; ex locorũ notis recordari interdum videtur. cuius causa est, quòd citò ex alio aliud ei incidit, vt ex lacte in cãdorem progreditur, ex candore in aëra, & ab hoc in humorem, ex quo ei autũni in mē- tem venit, cùm hoc tēpus exquireret. Videtur autē vt id quod ge- nerale est semel cõprehendam, id quod in medio loco est, principium esse omnium. Si enim antea non meminerat, ei cùm ad illud perue- nerit, memoria rei se offeret, aut certè nunquã, & nulla alia iam re admonebitur, vt si quis ea animo percurrat, quæ ordine quodam his literis *A B C D E F G H* significantur: nec cū ad *E* peruenerit, ei in mētem veniat, certè ei veniet in mentem cū ad *H* peruenerit. Hinc enim ad vtrũque, & ad *D* & ad *E* moueri atq; impelli po- test. Quòd si neutrũ horum quærebat, cū ad *C* peruenerit, in mentē ei veniet, si modò *G* vel *F* quærebat. sin minus cū ad *A* peruenerit, eodémq; modo semper. Cur autem ex eodem animi motu interdum id quod quæritur, veniat in mētem, interdū non veniat, causa est, quòd fieri potest, vt ab eodem principio ad plura, veluti à *C* ad *F* aut *D* moueamur. Proinde si à veteribus simulacris non moueatur ad id quod consuetudine factũ est illi familiarius transfertur: est enim quasi natura iam consuetudo. Itaq; facilè eorũ recordamur,

quæ sæpe cogitamus. Vt enim natura hæc res illam consequitur, sic rerum actiones. Atque frequens usus, naturam facit. Quoniam autem quod in iis contingit quæ natura constant, & quod est contra naturam, & quod fortè fortuna, id multo etiam magis in iis reperitur, in quibus valet consuetudo, quibus natura quidem non eodem modo conuenit: fit vt interdum & illuc, & aliò delabamur, quod tum vsuuenit maximè, cùm à certo quodam initio aliò quouis animo rapimur. ob eamque causam, cùm nomen ex memoria depromendum est, simile quidem depromimus, sed tamen non in illud incidentes, solœcismum committimus. Ac recordatio quidem ita fieri solet. Quod autem hoc loco plurimùm potest, tempus cognoscendum est, vel mensura certa adhibita, vel incerta. Sit igitur aliquid quo diuturnius à breuiore internoscamus, atque id consentaneum est, quemadmodum aliquid est quo magnitudines distinguimus. Intelligit autem illud res magnas, & quæ procul absunt, non aciem animi foras intendendo, vt oculorum aciem nonnulli confirmât, (etenim si res nullæ sint, eodem modo intelligit) sed certa cuiusdam rationis impulsu, quandoquidem in eo sunt similes rebus ipsis figuræ atq; motiones. quid igitur intererit, cùm res maiores intelliget? an quòd illas quæ minores sunt intelligat? Sunt enim minora omnia, quæ intus sunt & proportione quadam respondent iis quæ extrà sunt. Licet autem fortasse quemadmodum in formis rerù proportionem, sed ipso tempore adhibito, notare: sic & in interuallis, velut si exempli causa lineam AB & BE confecit, lineas etiam AC, CD

confecisse videtur: eandem enim rationem AC & CD habent, quam illæ inter se. Quamobrem ergo AC, CD lineas potius quam AF, FG peregerit? An etiam quã rationem AC ad AB habet, eandẽ KH habet ad KM ? Has igitur simul perficiet. Quòd si lineas AF, FG nosse volet AB, BE eodẽ modo intelligit, cùm interea pro KM, KL



intel-

intelligat. Hæ enim lineæ eandem habent inter se rationem, quam *FA* ad *BA* habet. Cùm ergo simul & rei & tēporis motus existit, tum animus memoriã ad opus cōuertit. Si verò non faciat, & se facere putet, tum se meminisse existimat. Nihil enim prohibet, aliquẽ falli, eique videri, cùm non ei in mentem venit. At verò ut is qui memoria agit, non putet, sed se meminisse ignoret, hoc fieri nullo modo potest. hoc enim meminisse esse diximus. Cùm verò rei motio sine vlla tēporis, aut cōtrà hæc sine illa existit, tum nemo meminisse dicitur. Temporis autem duplex est notitia. Aliàs enim mensura adhibita, non meminimus, ut hoc tertio die factum esse, sed aliquãdo: aliàs etiam mensura adhibita, meminimus. Veruntamen habetur memoria etiam si mensurã non adhibeamus. Hinc soliti sumus dicere, nos quidem meminisse, sed quando id factum fuerit, nescire, atque id tum deniq; dicimus, cùm hoc nõ habemus cognitum, quando & quampridem id factum sit. Ac illud quidem docuimus, non eosdem memoria valere, & recordatione. Differt autem meminisse à recordando non solùm tempore, sed hoc etiam, quòd memoria multa animalia attingit, recordatio verò in alio nullo eorum quidem quæ nota sint, nisi in homine reperitur. In causa est, quòd recordatio quasi quædam ratiocinatio est. Se enim antea audiuisse, aut vidisse, aut aliquid tale percepisse, is qui recordatur, secum ipse reputat, estque hoc quasi quædam quæstio: quod quidem iis solis à natura tributum est, quibus etiam ea vis animi data est, qua consilium capimus. Etenim deliberare & consilium capere, quædam est ratiocinatio. Motum autem esse quendam qui ad corpus pertineat, recordationem, & quæstionem in tali viso, hinc sciri potest, quòd nonnulli offenduntur, cùm recordari nõ possunt, & cùm quantũ valent mentem sustinēt, nec iam diligentiam studiũmq; in eo ponunt, nihilominus recordãtur: cuius generis sunt maximè melãcholici. Hos enim visa mouent agitãntque maximè. Causa autẽ cur in eis non est sitũ, ut recordentur, est, quòd quemadmodũ ij qui iaculantur, iam non possunt iactũ telum reprimere, sic is qui recordari vult, & aliquid inuestigat, aliquid corporeũ impellit, in quo sita est hæc animi permotio. Omnium autem maximè perturbantur ij, quibus in eam partẽ animi, quæ sensum cõtinet, humorem casus infuderit. Neq; enim commoueri de-

sistit, quoad id quod quæritur, se offerat, motusque animi recta via procedens ad metam perueniat. Itaque & horrores, & irarum ardores postquam semel excitata sunt, illis etiam contrariantibus non sedantur, sed eodem contra impulsu eorum rapiuntur: eaque animi perturbatio accedere videtur ad nomina, cantus & orationes, cum ex eorum ore aliquid cum impetu excidit. Cum enim destiterint, etiam inuiti rursus canere, & verba facere incipiunt. Sed ij qui superiores capitis partes maiores habent, atque pomiliones, obliuiosiores sunt iis qui contrario modo affecti sunt: propterea quod magno potere depressa sit illa eorum pars in qua sensus sedes est, nec possint ab initio motus animi in eis consistere, sed dissipentur, nec facile in recordando recto ordine progredi. Qui autem admodum pueri sunt & senes, eos obliuiosos motus efficit, quod hi in magna decessione sint, illi in accessione. Adde quod pueri ad multam usque etatem sunt pomilionibus natura persimiles. Ac memoria quidem que natura sit, quaque animi parte animalia meminerunt, & recordatio quid sit, quoque modo existat, & quam ob causam, diximus.

ARISTOTELIS DE SOMNO ET VIGILIA LIBER.

DE somno autem & vigilia quid sint dicamus, & utrum animi propria sint, an corporis, an communia: & si communia sint utriusque, cuius sint partis animi aut corporis, quamque ob causam animalibus conueniant: & utrum omnia utrumque eorum attingat, an partim unum, partim alterum solum, an aliqua neutrum, alia utrumque: præterea quid sit somnium, quaque de causa dormientes aliam somnium vident, aliam non vident, & solitine sunt semper dormientes somnia videre, etsi non meminerunt: quod si ita est, qua de causa fiat, & utrum fieri possit necne, ut futura provideantur, & si id fieri potest, quo tandem modo, & eane futura sint, que ab hominibus modo generantur, an ea quorum Deus causam habeat, & natura sunt, aut temere & casu. Ac primum quidem illud

illud profectò perspicuum est, & vigilandi laborè animalis esse & somnum. Còtraria enim sunt videtúrque somnus vigiliæ quædam esse priuatio. Nam & in aliis semper, & in rebus natura constan-
 tibus in eadem re extrema solent existere, eiusdémque esse affectio, ut valetudo & morbus, pulchritudo & deformitas, robur & imbecillitas, aspectus & cæcitas, auditus & surditas, leuitas & grauitas. Quod ex his etiam perspici licet. Quo enim vigilantem cognoscimus, eodem etiam dormiètem. Nam & eum qui sentiat, vigilare, & omnem qui vigilet, aut alicuius eorum quæ extrà sunt, aut alicuius earum motionum quæ in ipso sunt, sensum habere existimamus. Si ergo vigilare in alio nullo, nisi in sentiendo est, perspicuum est, ea quæ dormiant, eo ipso vigilare & dormire, quo sentiant. Quoniàmque nec animi proprium est sentire, nec corporis (cuius enim facultas est, eius etiam functio: qui autem sensus dicitur, ut functio & actio, quidam motus est animi ad corpus perueniens) perspicuum est neque animi propriam esse hanc affectionem neque inanimum corpus sentire posse. Cùm autem antè in aliis libris de iis quæ ut partes animi dicuntur, disputatum sit, eaque pars quæ ad alendum pertinet, separari à cæteris possit, cùm reliquæ sine hac consistere non possint, non est id quidem dubium, quin ea omnia in quibus accessio & decessio solùm, non etiam aliæ vitæ functiones reperiuntur, somni & vigiliæ sint expertia: quo in genere ea sunt quæ terra eduntur. Neque enim habent eam partem quæ est fons sentiendi, siue seiungi potest, siue non seiungi. Nam ratione & facultate separari potest. Itémq; illud perspicuum est, nihil esse, quod semper vigilet, aut semper dormiat, iisdémque animantibus has duas affectiones conuenire. Neq; enim si animal sit quod sensum habeat, id nec vigilare, nec dormire potest, quandoquidem hæ duæ affectiones sensus in ea parte, quæ fons, origo & principium est sentiendi. Nec verò fieri potest, ut alterutrū semper in eodè reperiatur, veluti, ut semper aliquod animantium genus dormiat, aut aliquod semper vigilet. Præterea quorum est officium quoddam, & munus à natura tributum, ea si modum temporis, in quo data est vis agendi facultas excesserint, tum ipsa necessariò præstare munus suum non possunt: ut oculi qui aspiciunt, huius muneris præstandi finem faciunt. Eadem

est & manus ratio, & ceterorum omnium quorum aliquod munus & officium est. Si igitur est alicuius officium sentire, atq; id fines tēporis transeat, in quo sensuū officio fungi cōtinenter potest, iam id ipsum præstare nō poterit. Quòd si vigilia sensuum resolutione terminetur, & contrariorum vnum adesse necesse sit, nō alterum, vigilaréq; & dormire cōtraria sint, quorum alterutrum in omnibus reperiri oportet, sequitur dormire animalia oportere. Si igitur somnus talis affectio est, idque est quædam imbecillitas propter vigilandi exuperantiam (vigilandi autem exuperantia interdum à morbo affertur, interdum sine morbo, ex quo efficitur, vt imbecillitatis & resolutionis sensuum eodem modo sint duo genera) necesse est omne id quod vigilet, eam vim habere, vt dormire possit, quippe cū fieri non possit, vt quicquam laborem ferat sempiternum. Eodémque modo nihil perpetuo somno opprimi potest. Nam cū somnus affectio quædã sit eius partis animi in qua sedes sensus est, & quasi nodus quidam ac vinculum, motúsque vacuitas, fit, vt omne quod dormit, eam vim habeat, vt sentire possit. Atqui id quod eam vim habet, vt sentire possit, sentiēdi munere fungi potest: & sensuum munus exequi omnino, ac propriè is nō potest vna eadémq; opera qui dormit. Ex quo necessariò efficitur, omnē somnum eam vim habere, vt depelli fugarique possit. Ac in cetera quidem ferè omnia perspicuè somnus conuenit, in aquatilia, in volucres, & in gradientia animalia. Etenim omnia piscium genera, adeóq; ea quæ molli cute tecta sunt, dormire visa sunt: tum omnia quæ oculos atque adeò ea quæ duros oculos habent. Perspicuum est etiam ea animantia dormire, quæ incisuris quibusdam constant, quanquam hæc ipsa breui somno contenta sunt. Itaque sæpe incertum est, dormiant necne. Ea verò quæ testacea sunt, sensu quidem nondum perspectum est, anne dormirent. At si cui probabilis hæc sit oratio, facile in iis etiam ita esse persuadetur. Atque ex his quidem perspicuum est, in animantia omnia somnum cadere. Animal enim ex eo quòd sensu sit præditum, definitum est, sensus autem quodam modo in fungendo munere imbecillitatem & quasi vinculum quoddam somnum esse dicimus, vigiliam verò in dissolutione & relaxatione posuimus. Eorū autē quæ terra ex se fundit & gignit, nihil vtriusvis affectionis est particeps. Nam sine sensu

sensu nec somnus, nec vigilandi labor vlli rei conuenit: quibus autem sensus conuenit, dolor etiam & voluptas, in quibus autem hæc reperiuntur, in iis etiam cupiditas, quorū nihil in iis reperitur, quæ oriuntur ex terra. Idque ex eo perspici licet, quod pars ea animi, quæ alendi vim habet, melius officiū suum in somno quam in vigilia exequitur. Aluntur enim & augentur tum melius animalia, quod nihil ad hæc munera obeūda sensum requirant. Sed quæ sit dormiendi vigilandiq; in animantibus causa, & quo in sensu, vel quibus in sensibus, si in pluribus hæc functiones eueniant, exponendum est. Quoniam autem in nonnullis animalibus omnes sensus reperiuntur, in aliquibus non reperiuntur, vt auditus, & aspectus, tactum autem & gustatū omnia habent, nisi si quod est inchoatum & imperfectū (de his verò in libris de Animo dictum est) & fieri non potest, vt animal cuiuslibet sensus munere in somno fungatur. non est id quidem dubiū quin necesse sit in somno qui vocatur affectionem sensibus omnibus conuenire. Si enim vni conueniret alteri minimè, hoc etiā in somno fungeretur, quod fieri non potest. Quoniamque omni sensui tum proprium aliquid, tum cōmune attributum est, proprium veluti aspectui cernere, auditui audire, eodemque modo cæteris, estque vis quædam cōmunis quæ ad omnes pertinet, quæ eadem & videre & audire se sentit. non enim quidem certè aspectu videt se cernere nec iudicat, aut internoscere potest diuersa esse dulcia ab amaris, aut gustatu aut aspectu, nec vtroq; sed quadam parte cōmuni omniū quæ sub sensum cadūt. est enim & sensus vnus, & id in quo prima inest sentiēdi authoritas vnū, ratio autem sensus in quoq; genere versantis diuersa, vt in sono & colore. Hæc autem vis cōmunis cū tactu maximè coniuncta est: nam cū ab aliis sensibus separetur, cæteri ab illo diuelli seiungique non possunt (de quibus in libris de Animo dictū est) perspicuū est in hac parte animi vigiliam & somnū cōsistere. Itaq; omnibus animantibus conuenit, quoniam etiā tactus solus in omnibus reperitur. Etenim si ex eo somnus vsuuenit, quod vniuersis reliquis sensibus aliquid accidat, absurdum est eos sensus, qui nec necessario simul funguntur suis muneribus nec quodāmodo fungi possunt, simul eademque opera & nihil agere necesse esse, & omni motu vacare. Cōtrā enim magis cōsentaneū esset eis euenire, vt ne simul quiesce-

Cap. 2.

rent. Quod autem hoc tempore dicimus, id in his etiã rectè intelligitur. Cùm enim ei quod principatũ in cæteras sensuũ sedes obtinet, & ad quod cætera pertinent, aliquid accidit, cæteris etiã omnibus idem conueniat necesse est. Si quod autem illorũ elanguescat, non necesse est hoc quoq; viribus destitui. hoc autem in plerisq; rebus perspici licet, somnũ nec in sensuũ singulorũ cessatione, neq; in eo quod sentiendi functione nõ vtamur, cõsistere. In animi enim defectiõibus tale aliquid accidit, præsertim cùm animi defectio quædam sit sensuũ imbecillitas: & talia quædã mentisq; deliria eueniunt, & ij præterea quibus in iugulo venæ astringuntur, sensu carere solent: sed tum deniq; somnus habendus est, cùm animal sensuũ munere fungi nõ potest, idq; non quauis sentiendi sede atq; parte, nec quauis de causa, sed quemadmodũ modo dictũ est, ea sentiendi parte in qua inest sentiendi principatus. Cùm enim ea pars sic affecta est, vt sentire nõ possit, necesse est etiã cæteras sensuũ sedes omnibus officiũ ac munus sentiendi exequi nõ posse. Cùm autem illorũ aliqua nõ potest, non necesse est hanc non posse exequi. Cur autem somnus eueniat, quæq; sit hæc affectio, dicendũ est. Multa quidem sunt genera causarũ. Nam & finem, & id vnde motus principium existit, & materiã, & formam causam dicimus. Principio quoniã naturam dicimus agere alicuius gratia, idq; in bonis ducitur: quietẽ autem omnibus rebus quæ suapte natura mouentur, iis verò quæ perpetuo continuòq; pulsu agitari nõ possunt cum voluptate, necessariam esse & vtilẽ: somnòq; hanc nominis translationẽ à veritate coacti omnes accomodant, vt quies vocetur, fit, vt salutis animantium causa datus sit. Atqui vigilia finis est, quandoquidẽ sentire ac sapere omnia quibus alterũ inest, tanquam finem proposita habent. Nihil enim his præstantius est, nihil melius, & finis quiddã optimum est. Præterea necesse est somnũ vnicuiq; animali conuenire. Dico autẽ necesse esse ex adiunctione si animal sit, quod suam naturã habeat, ei quædã necessariò inesse oportere, quæ si sint, alia adesse oporteat. Dicendũ est etiã deinceps, quo ex motu vel actione corporũ vigilia & somnus in animãtibus cõsequantur. Et quoniã in cæteris animãtibus, vt in iis quæ sanguine carent, aut easdẽ, aut similes causas esse existimandũ est, in iis autem quæ sanguinem habent, easdem, quæ in hominibus perspiciuntur, ex his omnia cognoscenda

scenda sunt. Atq; illud quidem prius in aliis libris expositum est, sentiendi principium ab eadem parte, a qua etiam mouendi, animalibus vsuuenire. Id autem est, trium certorum locorum medius inter caput & inferiorem aluum locatus. atq; iis quidem quae sanguinem habet, pars est quae cordi propinqua est. Omnibus enim animantibus quae sanguinem habent, cor datum est, ex quo fons & principium sensus ac motus praecipui ducitur. Ac illud quidem perspicuum est, & mouendi & respirandi, & omnino refrigerandi fontem ac principium in hac parte consistere. Calorisq; qui huic parti tributus est, natura, fecit, ut animantia partim respirarent, partim salutis causa humore refrigerarentur. De quo post suo loco dicetur. In iis autem quae sanguinis expertia sunt, in iis quae incisuris quibusdam constant, quaeque spiritum non ducunt, principium est in parte quae cordis locum obtinet. Spiritus enim in iis insitus dilatari & contrahi perspicitur: id quod animaduerti licet in iis bestiis, quae pennas perpetuas continuatasq; habent, cuiusmodi sunt vespa & apes, atq; in muscis, aliisque generis eiusdem. Quonia autem mouere aliquid aut facere sine aliqua virium contentione non possunt animalia: virium autem contentionem gignit spiritus retentio, iis quidem quae spiritum ducunt, qui extrinsecus euenit, iis vero quae non respirant, cognati & insiti. Itaq; ea quae pennarum adminiculo vtuntur, sonum quendam videntur edere, cum spiritus attritu mouentur, qui in septum transversum eorum animantium quibus penna perpetua datae sunt, incurrit. Omnia autem motu cientur, tum cum sensus aliquis vel naturae accommodatus vel alienus in prima sentiendi parte nascitur. Quod si somnus & vigilia huius sunt partis affectiones, profecto perspicuum est, quo in loco quaque in parte primum somnus ac vigilia existant. Nonnulli autem tum cum dormiunt, mouentur, faciuntq; multa, quae vigilantes, sed tamen non sine visione sensuq; quodam. Somnium enim sensus est quodam modo, de quo postea dicendum erit. Cur autem somniorum illi homines cum expergefati sunt, recordentur, ea vero quae per somnum quasi vigilantes fecerunt, non recordentur, in Problematibus querendum. Nunc sequitur, ut ex- Cap. 3.

plicemus, quibus rebus, & unde principium vigilandi dormiendique existat. Perspicuum est quidem, necesse esse animantibus omnibus, cum sensum habent, primo cibum capere, atque augeri, cibumque

extremum esse omnibus iis quidem quæ sanguinem habent sanguinis naturam, iis autem quæ sanguine carēt, aliquid quod illius locum teneat quadam similitudine sanguis autem venis continetur, quarum sit cor fons atque principium. Quod autem dixi, perspicilicet ex anatomis. Igitur cūm cibus extrinsecus in loca ad capiendum idonea intromittitur, quædam in Venas exhalatio ingeritur, ibique mutata in sanguinē vertitur, & ad eam partem distribuitur, in qua sanguinis fontem principiumq; esse diximus. De quibus etsi eo loco vbi de alimento egimus dictum est, tamen de iisdem aliter petendum principium est, vt motus initia cognita habeamus, quidque parti nunc in qua principium sensus inest, accidat, vt vigilia & somnus oriatur. Neq; enim somnus quæuis est, iam vt dixi, imbecillitas eius partis in qua sedē sentiendi ponimus, quippe cūm & amentia & suffocatio quædam & animi defectus talem efficiat imbecillitatem. Iam verò nonnullis etiā quos animus defecerat, visa quædam vehementia acciderūt. Atq; hoc quidem nonnullam dubitationem habet. Si enim fieri potest, vt is quæ animus deficiat, dormiat, fieri etiam poterit, vt visio etiam sit somnium. Multa autem dicūt i quibus adeò vehemens animi defectio euenit, vt mortui esse viderentur, de quibus omnibus eodē modo iudicandū est. Ait enim quemadmodum diximus, non est somnus in omni imbecillitate eius partis, in qua sedem sentiēdi statuimus, sed ex halitu eo qui ex cibo existit, hæc ipsa affectio gignitur. Necessesse est enim id omne quod exhalatur, aliquatenus impelli, deinde more Euripi vltro citroque cōmeare atque reuerti. Calor autem cuiusque animantiū in sublime ferri suapte natura solet, quò posteaquā peruenerit, vniuersus atq; accumulatus reuertitur ac refertur. Itaq; cibi somnū gignunt maximē. Magna enim humoris reique corporeæ copia cōferta & coaceruata in superas partes fertur, vbi cūm hæret premit suo pondere, facitque vt nos somni cupiditate ducamur: cūm verò deorsum propendet, relataq; calorem cōmouet, tum somnus nascitur, animaliaque dormiunt. Idque intelligi licet ex iis quæ ad conciliandum somnum valent. Omnia enim capitis grauedinem gignunt & poculenta & esculenta, vt papauer, mandragora, vinum, & liliū: aque hoc ipsum vsuuenire iis videtur, qui toto penè corpore deorsum feruntur, quosque somni cupido capit, ita, vt nec caput

erigere

erigere possint, nec palpebras attollere. Ac talis est somnus maxime, qui cibum & pastum sequitur, propterea quod in pastu magna est halituum respirationumque copia. Atque etiam ex quibusdam defatigationibus somnus oritur. Valet enim labor, & defatigatio ad colliquefaciendum. Colliquatio autem est quasi cibus crudus in stomacho, nisi sit frigida. Nonnulli etiã morbi hoc ipsum efficiunt, omnes ij qui ex humoris calorisque redundantia nascuntur, quo in genere sunt febres atque lethargi. Præterea ineunte ætate id contingit. Infantes enim ac pueri alto sopore opprimuntur, propterea quod cibus omnis sursum feratur. Quod ex eo sciri potest, quia superiora inferioribus magnitudine prima ætate præstant. propterea quod eò incrementũ corporis soleat contendere. Ob eamque causam morbi epileptici & comitiales incidunt. Est enim somnus epilepsie similis. Itaque huius morbi principium dormientibus vsuvenit, dormientesque opprimuntur hoc morbo, vigilantes non opprimuntur. Cũ enim ad superiores partes multitudo halituum respirationumque fertur, iterum inferiora loca capeffens, venas suo pondere opprimat, comprimique eam viam, qua spiritus ducitur. Quocirca vini vsus pueris ac nutricibus vt noxius interdicens est. Nihil enim refert, ipsi ne bibant, an ne nutrices, nisi dilutum aqua, modòq; adhibito præbeatur. Vinum enim respirationum halituumque pleniũ est, ac nigrum maxime. Sic verò plena sunt alimẽti superiores puerorum partes, vt quinque mensibus cervices minime inflectant. Vt enim valde ebrius, sic pueris, magna humoris copia superas partes capeffit. Estque consentaneum ab huiusmodi affectione, quietẽ afferri foetibus primũ in vtero tantam vt se non moueant. Omninoque homines ij quibus venæ non apparent, & pomiliones, id est, quibus statura brevis est, & qui magnitudine capitis præstant, somniculosi sunt. Illorum enim venæ ita angustæ sunt, vt nõ facile humor è superiore loco descendens diffluat: iis autem qui breues sunt vt pomilionibus, & qui magno capite sunt, magna est in superioribus partibus respirationum copia. Quibus autẽ venæ latè patent, ij propter diffluẽdi per vias & itinera facilitatem, haud ferè somno indulgere solent, nisi quid fortè aliud contrà eueniat: nec melancholici, propterea quod refrigeratus est locus interior, vt non magna in eis halituum copia oriatur. Ob eam enim causam edaces ferè

sunt, cum duritiem & siccitatem quandam præ se ferant. Sic enim affecta sunt eorum corpora, quasi à cibo nullam utilitatem perceperint. Nigraque bilis cum frigida sit natura sua, & eam partem in qua alendi sedes est, frigore afficit, & cæteras, ubicunque hæc redundantia inesse potest. Perspicuum est igitur ex iis quæ dicta sunt, somnum concursum quendam esse caloris ad interiores partes & ἀντιθετικῆς nature congruentem, propter eam causam quam diximus. Itaque magno in motu cum opprimi somno incipiunt, versantur. Cum autem deficit ac refrigeratur calor, tum propter frigus palpebræ demittuntur, partesque superiores atque externæ, frigida sunt, intimæ autem & inferiores calidæ, ut eæ quæ pedibus vicina sunt, & intimæ. Atqui dubitatio quædam hoc loco existere potest, propterea quod postum alti somni sequuntur, valentque vinum ad somnum conciliandum, & alia quæ calores eiusdem generis habent, hoc verò videtur absurdum, atque alienum somnum esse refrigerationem, eiusque causas calidas. Vtrum ergo hoc ita evenit, quia ut stomachus cum est inanis, calidus est: cum plenus, ipse cibus eum propter motum refrigerat, sic itinera & loca quæ in capite insunt, cum eò halitus feruntur, refrigerantur? an verò quemadmodum iis qui aliquo humore calido perfunduntur, repente horror quidam oboritur, ita illic ascendente calore frigus coactum refrigerat, innatumque calorem omni vi priuat, atque abire cogit? Præterea cum multum cibi adhibetur, quem calor sursum ferat, simile est, ut cum ignis lignis adhibitis refrigeratur, quoad in ea ignis vim suam immiserit. Euenit enim somnus tum denique, quemadmodum dixi, cum calor vi sua ad caput per venas aliquid corporeum perducit. Cum verò iam non potest, sed id quod in sublime latum est, copia superat, tum repellitur, atque ad inferas partes refluit. Itaque cadunt homines calore eo qui in sublime ferebat, dissipato. homo enim solus ex animantibus erectus est, & cum decidit calor, mentis officium aufert primum, deinde etiam visionem suggerit. An verò eæ explicationes quas commemoravi eam vim habent, ut doceant refrigerationem oriri? sed tamen propriè locus est quidam, quo cerebrum continetur, qui quemadmodum alio loco dictum est, huius rei principatum obtinet. Is omnium est eorum quæ sunt in corpore, frigidissimus, & in iis animalibus quæ cerebro carent, aliquid

aliquid est quod eius locum obtinet. Vt igitur vaporis qui solis calore exhalatur, cum ad superiorem locum peruenit, propter frigus quod in eo est maximum, refrigeratur, coactusque deorsum fertur suo pondere, posteaquam rursus in naturam aquæ versus est: sic in elatione caloris ad cerebrum, respiratio quidem redundans in pituitam vertitur, hinc catarrhos ex capite oriri constat, ea autem quæ salutaris ad alendumque valet, & quæ morbos non gignit, coaceruata & conferta deorsum fertur, colorémque refrigerat. Facit autem tenuitas, & angustia earum venarum, quæ cerebrum continent, ut refrigeretur, nec facile halitum recipiat. Ac refrigerationis quidem hæc causa est, etiam si in halitu summus quidem calor insit. Expergesunt autem tum animalia, cum concoctus est cibus, & coactus in angustum calor circumfuso frigore, amplificatus vicit, sanguinémque crassum à puro secreuit. Est autem tenuissimus sanguis & purissimus is qui in capite inest, crassimus verò & impurissimus inferioribus partibus datus est. Omnis autem sanguinis fons ac principium est in corde, ut & hoc loco, & aliis libris dictum est. Vtriusque autem extremarum cellularum cordis media communis est, illarum verò vtraque sanguinem ex vtraque vena excipit, & ex ea quæ magna & ex ea quæ ἀορτή vocatur. In media sanguinis fit distributio. Sed de his differere, non est huius loci. Quoniam autem sanguis maximè à cibo impurior gignitur, somnus manet, quoad sanguis tributus sit, is quidem qui purus est ad superas partes, ad inferiores autem crassior: quod cum factum est, tum denique animantia à pondere quod cibi afferebant, libera à somno excitantur. Ac dormire quidem quid sit, dictum est, ἀνύπνους quendam quam confertim in ea parte in qua est sentiendi sedes, efficiat, halitus quidam crassus ad superiores partes caloris innati vi impulsusque sublatus. Dictum etiam est, quid somnus sit, id est eius partis in qua fons est sensuum, vinculum quoddam & impedimentum, quo minus munere suo fungi possit. Atque ille quidem necessario fit (neque enim animale esse villo modo potest, quin ea quæ illud omnibus suis partibus perficiunt & absoluunt, ei vsuueniant) sed salutis causa. Conseruat enim requies animantia.

ARISTOTELIS DE SOM-
NIIS LIBER.

Cap. I.



*D*Eincept de somniis querendum est, ac primum, qua animi parte videantur, & utrū hic motus eius sit partis animi qua intelligamus, an eius qua sentiamus. His enim duabus solis earū quæ in nobis sunt, rerum notitias percipimus. Quod si oculorum munus ac officium est aspectus, & auditus, auditio, & vno nomine sensus, officium sentire est: hæc autem communia sunt sensuum, vt figura & magnitudo, cæteraque eiusdem generis: propria verò, vt color, sonus, sapor: fierique non potest, vt omnia quæ oculos claudunt ac dormiunt, cernant, itémque in cæteris: profectò ne in somno quidem sensu aliquid percipimus. Ex quo efficitur, somnia non videri sensibus. Neq; verò opinionis sunt. Neque enim aliquid quod accedit hominem tantum, aut equum esse dicimus, sed album etiam atque pulchrū, de quibus opinio sine sensu nihil verè falsòve confirmauerit. Atqui hoc in somnis interdū animus facit. Peræquē enim eum qui accedat, hominem, & album videmur videre. Præterea præter somnia aliquid mente agitare solemus, quemadmodū vigilantes aliquid sensu percipimus, (cuius enim sensum habemus, de eo etiam aliquid plerunque cogitamus) sic in somno præter visa interdum alia animo cognoscimus. Quod facile apparebit, si quis animaduertat, coneturq; recordari cum surrexerit, & expergefactus fuerit. Quinetiam nonnulli iam talia somnia viderunt, qualia ij qui sibi videntur ex memoriæ præscriptione notas quæ sibi in tempore obiiciuntur, ponere. Contingit enim eis sæpenumero, aliquam aliam visionem præter somnium in comparato dispositoq; loco quasi oculis subiici. Ex quo perspicuum est, nec somnia omnia esse ea quæ in somno videantur, & quod animo ac mente percipiamus, id nos opinione iudicare. Hoc autē de his omnibus tantum perspicui licet, hanc affectionē eo ipso in somnis gigni, quo nos etiā vigilantes in morbis erramus, atq; captamur. Quinetiā valētibus & scientibus, tamen sol pedalis videtur. Sed tamen siue eadē, siue alia sit pars animi quæ visa, &

quæ

quæ sensa percipiat, nõ sine rei alicuius aspectu, aut sensu illud fit. Falso enim cernere, & audire, cernentis verè aliquid, & audientis est: quanquam non illud ipsum quod putarat. In somno autè positum est, nihil cernere, nec audire, nec planè ullius sensus officio munerèq; fungi. An igitur nihil in somno videri & cerni verum est, nihil verò sensum pati, id non verũ? Fieri q; potest, vt & aspectus aliquid accipiat, ac quasi patiatur, & cæteri sensus? Quorum quodq; in sensum quidè quasi in vigilia quodammodo incurrit, nõ ita tamen vt in vigilia interdumq; assensus id quod videtur, falsum esse dicit, interdũ sustinetur, visionemque approbat. Atq; illud quidem perspicuum est, non esse opinantis nec ratione vtentis eam animi affectionem, quam somnium vocemus, nec verò planè sensu vtentis est. Cerneremus enim planè & audiremus somniantes. sed quatenus, quòque id modo liceat, videndum est. Positũ igitur sit id quod etiam perspicuũ est, eius quod sensus sit particeps, somnium affectionem esse quandam, siquidem etiam somnus est: præsertim cum nõ alicui alij animalis parti somnus, alij somnium, sed eidem conueniat. Quoniã autem de visione in libris de Animo dictũ est, idemq; est ea pars animi cui visa obiiciuntur, quod ea quæ sensum habet, etsi alia est vtriusque ratio ac definitio, & visio motus est quidam à sensus usu & functione ortus, somniumque visionem quandam esse apparet: visum enim se in somnis offerens id est, quod somnium appellare solemus siue id omnino ac simpliciter, siue ad aliquem vsque modum accidat: profectò eius partis animi quæ sensus est particeps, atque id quatenus visorum receptaculum est, proprium est somniare. Quid verò somnium sit, quòque modo eueniat, facillimè ex iis quæ in somno accidunt, intelligemus. Ea enim quæ sensus mouentia sunt, nos in quaque sensuum sede sensu afficiunt, eaque animi affectio quam gignunt, non solum in sensu sedibus tum cum sensus munere suo funguntur, inest, sed etiã cum non funguntur. Idem enim & in his videtur contingere, & in iis quæ pulsu agitantur. In iis enim quæ mouentur, cum id quod pulsu agitauit, non iam contingit, id quod pulsum est, mouetur, propterea quòd id quod pulsauit fortè fortuna aliquem mouit, atque is rursus commotus, alium, eodemq; modo ad eum finem dum nascatur aliquid in quo consistat, in aère & aqua pulsu agitatur. Quod

Cap. 2.

D. i.

etiam fit in commutatione. Id enim quod calefactum est, proximam
 quanque rem calore afficit, & ad principium usque illud ipsum
 persequitur. Itaque in sentiendo etiam quoniam immutatio qua-
 dam, sensus functio est, id fieri necesse est. Quocirca adest affectio
 quaedam non solum tum cum sensuum sedes sensu afficiuntur, ve-
 rum etiam cum nihil agunt, & intimis & extremis partibus.
 Quod tum facile perspicui licet, cum sensum alicuius rei continua-
 mus. Tum enim auerso sensu, affectio sequitur, ut si aspectum a
 sole ad tenebras conuertamus, nihil cernimus propter motum qui
 tum etiam a lumine ortus in oculis subest. Ac si diu colorem, vel
 album vel viridem contueamur, talis quaedam affectio incidit, quo-
 cunque aspectum conuertamus. Solemque postquam spectauimus
 aut aliquid aliud splendidum, si conuueamus, videmur videre si
 obseruare velimus recta via qua aspectum dirigimus, primum il-
 lud ipsum eodem colore, deinde in phoeniceum mutatur, tum in pur-
 pureum usque eodem in nigrum se vertat & euanescat. Quinetiam
 cum ab iis quae motu feruntur, ut a fluminibus, tum vel maxime ab
 iis quae maximo impetu feruntur, si oculos auertamus, ea quae stant,
 moueri videntur. Atque etiam vehementes sonorum appulsus ho-
 mines surdaestros efficiunt, & acres odores difficultatem olfacien-
 di nobis pariunt. Atque in aliis eiusdem generis eadem est ratio.
 Haec verò aperte indicant, eo quo dixi modo sensus affici. Sensus au-
 tem citò paruas etiam dissimilitudines percipere, id quod in spe-
 culis vsuuenit, declarat: de quo si quis diligenter viderit etiam du-
 bitabit, & plura quæret. Simul autem ex eodem illud perspicui licet,
 aspectum, ut pati & accipere, sic etiam aliquid efficere. In specu-
 lis enim valde nitidis & splendidis si mulieres cum menstruas flu-
 xiones patiuntur, speculū intueantur, in summo speculo quasi ne-
 bula quaedam cruorem imitans, nascitur, quod si nouum sit speculū,
 non facile ea macula detergitur. Sin vetus, facilius. Idque fit, pro-
 pterea quod aspectus, ut dixi, non solum ab aëre afficitur, sed etiā
 aliquid facit & mouet, quemadmodū res illustres & magno splē-
 dore nitentes. siquidem pupilla in iis rebus est, quae micant, colore-
 que infectae sunt. Ac oculi quidem ita afficiuntur, ut etiā alia quae-
 uis pars corporis, natura enim venis quibusdam constāt. Itaque in
 morbis qui menstrui dicuntur, propter motum inflammationemque
 sanguinem.

*sanguinem imitantem in oculis distinctio & nota minus illa quidē
 apparet, sed inest tamen. (Eadē est enim seminis muliebriūmq; na-
 tura.) quæ eadem cūm aëra inficiunt, eūmq; aëra qui speculis ad-
 herescit afficiunt, talēmq; reddunt, qualis iam ipse est, tum deniq;
 aër speculi extremas partes inficit, non secus ac vestes, quarum ut
 quæq; munda & nitida est maximè, ita facillimè ac celerrimè sor-
 dibus inquinatur. Quicquid enim purum est, nitoreque præstat, id
 facilè quicquid capit, declarat, & maximè minimam quanq; mu-
 tationem. Aes autem quoniam læue est, quemuis tactū & appul-
 sum sentit declaratque maximè. In quo aëris tactū & impulsione
 quasi deterfionem quandam & ablutionē intelligere debemus, quæ
 propter nitorem speculi facilè apparet, quāuis parua sit. Nitor au-
 tem & leuitas causa est cur ex nouis speculis macula non facilè
 elui possit. Diffunditur enim in talibus & per profundum & in
 omnes partes: propter nitorem quidem, per profundum: propter læ-
 uitatem, vndique. In veteribus verò non permanet, propterea quòd
 macula non aequè imbibitur, & infunditur, sed magis in somnis e-
 minentibusque partibus. Ex quibus perspicuū est, & motum à par-
 uis etiam differentiis atq; eum citò afferri, & sensum fieri, cernen-
 dique sensum non solūm affici, verum etiam contra afficere. Hoc
 declarant & ea quæ in vinis atq; in vnguentis contingūt, & oleū
 factitium & vinum, quæ non solūm eorum quæ infunduntur, aut
 admiscentur, verūm etiam eorum quæ prope vasa locantur, aut i-
 psis adhærescunt, odores facilè recipiunt. Sed ut ad primum propo-
 situm reuertamur, positum sit vnum, quod ex iis quæ dicta sunt in-
 telligitur, sensum eorum quæ sensus mouentia sunt, iis etiam absen-
 tibus, quæ extrinsecus sensui obiiciuntur, remanere. illud etiam, nos
 facilè decipi solere iudicio sensus, tum cūm perturbationibus alijs
 alijs impellimur. Veluti timidus, & ignauus, metu, & insano amo-
 re affectus, amore, ita ut parua specie ac similitudine ductus, ille
 hostes, hic eum quem amat, videre videatur, atque id quo maiore
 perturbatione incitatus sit, eo minore rei similitudine obiecta falli-
 tur. Eodēmq; modo & iracundia incitati homines, & omni-
 bus cupiditatibus inflammati, facilè omnes decipi & captari so-
 lent. eoque magis quo maiore perturbationum impetu incitan-
 tur. Itaque ij qui febre iactantur, interdum in parietibus bestio-*

D. ij.

las parua lineamentorum quæ induc̄ta sunt similitudine ducti, in-
 esse existimant: atque hæc opinio ita eis cum ipsis perturbationibus
 crescit, vt si non grauius afflic̄tentur, id falsum esse non ignorēt:
 si maior sit & grauior morbus, ad eas etiam bestiolas inuolent to-
 tōque impetu ferantur. Idque fit propterea, quod non eadem animi
 vi iudicent ea pars quæ dominatur, & ea in qua visiones impri-
 muntur. Quod hinc sciri potest, quia cum sol pedalis videatur,
 sæpe visioni aliquid aliud repugnat: & quadam digitorum per-
 plexorum in mouendo & tangendo vicissitudine vnum duo vi-
 dentur, sed tamen non duo esse concedimus. Verius enim aspectus
 quàm tactus iudicium est. Quod si solus nobis tactus datus esset, v-
 num duo esse iudicarem. fallimur autem ac mentimur his in re-
 bus, propterea quod non solum cum res quæ sensum mouet, pulsū
 agitatur, apparent nobis qualescunque res, sed etiam cum ipse sen-
 sus mouetur, præsertim si eodem modo, quo à re quæ sensui obiici-
 tur, moueatur, veluti terra nauigantibus moueri videtur, quod
 ab alio aspectus mouetur. Ex quibus illud perspici licet, non
 solum vigilantibus motus eos qui ab iis sensibus qui extrinsecus
 obiecta sentiunt, quique in externis corporis partibus insunt, gignuntur, incidere, sed etiam tum cum affectio illa quam somnum vo-
 camus, existit: imò verò tum maximè se offerre. Interdum enim, cum
 sensus intenti sunt & occupati vnà cum mente expelluntur, ob-
 ruunturque vt paruus ignis à magno, & à magnis parui dolores ac
 voluptates. Cum autem nihil agunt & quiescunt, etiam exiguae vi-
 dentur. Noctu verò quia ociosi sunt illi sensus qui per singulas cor-
 poris partes sunt dispersi, nec ipsi quicquam agere possunt, quod
 calor ex summis membris in intimas partes se regerit, ad sensus
 fontem & principium delabuntur, tumque euidentiores fiunt om-
 ni perturbatione sedata. Sic autem quemq; motum in animo gi-
 ni cōtinenter existimare debemus, vt vertigines illæ quæ per sum-
 ma aquarum decurrere solent, quæ sæpe sui similes permanent in-
 terdum ab aqua alium cursum accipiente, in alias formas mutan-
 tur. Itaque post cibum, & admodum pueris, vt infantibus, somnia
 non incidunt, quia multa sit tum agitatio vehemēsq; motus pro-
 pter eum calorem, quem cibus gignit. Quocirca quemadmodum
 aquam aut alium humorem si quis vehemēter bacillo cōmoueat, in-
 terdum

terdum nullum simulacrum videtur, interdum videtur quidē, sed omnino inflexū ac deforme, vt aliud atq; est videatur, sedata autē & tranquilla aqua, purū & illustre videtur: sic in somno visa & motuum reliquæ quæ à sensibus eueniunt, nonnunquam à maiore quodam motu quem dixi, omnino obruuntur, interdū verò turbata quædā visa, & prodigiosa, & ingrata omnino somnia vidētur, vt furentibus, febre laborantibus, & ebriis. Hæ enim perturbationes cū spiritus plena sint, magnū & motum & tumultum afferunt. Cū verò tranquillus est & secretus sanguis in iis animantibus quæ sanguinem habent, motiones sensorum quæ integræ seruatae sunt à quoq; sensuū quieta & sedata somnia ita efficiūt, vt aliquid nobis appareat, videamurq; ab iis quidē quæ ab aspectu delabuntur, videre, ex iis autem quæ ab auditu, audire. quod fit etiā in cæteris sensibus eodem modo. Quoniam enim illinc ad principium, motus peruenit, etiam vigilantes videre, audire ac sensu percipere videntur. quodq; aspectus interdum moueri videtur, cū vt diximus, non moueatur, & tactus duos motus nunciat, vnū duo videtur. Principium enim, quod à singulis sensibus fuerit oblatū, id omnino ac semper affirmat, nisi aliud quod plus possit, contradicat. Species igitur offertur omnino, sed non omnino ac planè assensu id quod videtur approbatur, sed ita deniq; si eius partis quæ iudicando valet, actio cohibetur, vel proprio sibi motu minimè agitetur. Vt autē diximus, alios alia animi perturbatione facile decipi captariq; solere, sic dormientes, somno & sensuū pulsu & agitatione, & aliis quæ per sensum accidunt: ita vt quod parua similitudine ad aliud accedit: illud esse videatur. Cū enim dormimus, defluente in principium maxima sanguinis copia, motus qui insunt alij vi & facultate, alij reipsa, vnā delabuntur. id quod ita fit vt in huiusmodi motu, ex illis motionibus vna quædā se exerat atq; offerat, quæ postquam euannit alia ei succedit: eodēmq; modo inter se afficiuntur, vt ranæ quæ ex subere formatæ aut alia materia, in aqua liquefacto sale extant. Hoc sanè modo illæ motiones cū non sint, posse esse dicuntur: reiecto autem eo quo ne extarent impediebantur tum reipsa sunt, tūmq; ipsæ liberæ ac solutæ in parua sanguinis copia, qui in sensuum sedibus inest, similitudinem eorum à quibus motio profecta est ostendūt, non secus, quàm ea quæ in nu-

bibus apparent, quæ ad hominis & centaurorū figurā similitudine
 accidentia, citò euanescent. quorum quicque est vt dixi, quasi reli-
 quia eorum de quibus vigilātes cogitauimus aut egimus. ac cū id
 quod reuera sensum mouet, abscessit, verè etiam dici potest, hoc ta-
 le esse qualis sit Coriscus. Cū autem sensus erat ea pars cuius est
 proprium iudicium, Coriscum esse non assentitur, neque præscribit,
 sed ex eo ad veram illius Corisci notionē peruenit. Quæ igitur vis
 etiam sentiēdo, hoc ipsum dicit: nisi à sanguine omnino eius assen-
 sus cohibeatur, vt iam quasi omni sensu careat, ea à motibus iis qui
 in sensuum sedibus inhereant, agitur, tūmque ipsa similitudo id
 quod verum est, videtur. Tantāque somni vis est, vt possit efficere
 quo id nos lateat. Vt igitur si quis oculo digitum subiectū esse igno-
 ret, non solum apparet, sed vnum duo esse assentitur: si non igno-
 ret videtur illi quidem, non tamen assentitur: sic in somno, si se dor-
 mire sentiat, sensumque habeat eius affectionis, quæ eius partis pro-
 pria est, quæ sensum habeat, species quidē occurrat, sed tamen ani-
 mi quædam pars speciem Corisci versari in animo assentietur: Co-
 riscum autem non esse id quod occurrat, confitebitur. Plerunque au-
 tem fit, vt dormiēte aliquo quædam animi eius pars id quod occur-
 rat, somnium esse approbet. Quòd si se dormire ignoret, nihil visio-
 ni resistit. Nos autem verum dicere, motusque visorum esse quosdā
 in sensuum sedibus, ita denique perspici poterit, si quis eò animū
 intendat, vt conetur recordari, quæ nobis vsuueniūt, & cū som-
 no primū grauari incipimus, & cū à somno excitati sumus. Fit
 enim interdū, vt quæ simulacra in somno cuipiā offerebantur, ea
 expergefēctus, motus esse animi, qui in sensuum sedibus relicti ef-
 sent, comperiat: præsertim cū nonnullis pueris, etiam cū apertis
 oculis planè vigilant, in tenebris spectra permulta moueri videan-
 tur, vt plerunque præ metu se occulant & abdant. Ex quibus om-
 nibus colligendū est, somnium esse visionem quandam, atque eam
 quæ in somno existat. Quæ enim spectra modò commemorauimus,
 non sunt somnia, nec si quid aliud liberatis solutisque somno
 sensibus occurrat: neque verò quicquid secundum quietem vi-
 detur, id continuò somnium est. Primū enim ita accidit, vt
 nonnulli quadam ex parte sensum & sonorum, & luminis, &
 saporum, et tactus, etsi leuiter & quasi eminus habeāt. Iam enim
 quidam

quidam qui dormientes leuiter aspiciebant, cum lucernæ lumen se vidisse leuiter per somnium existimarent, experrecti statim id lumen lucernæ quod re vera obiectum esset, agnouerunt: & cum gallorum canumque vocem leuiter audirent excitati somno, planè intellexerunt. Deinde verò nonnulli etiam rogati respondent. fieri enim potest, ut tum cum planè, vel vigilamus, vel dormimus, si alterum in nobis inest, alterum etiam nobis quodammodo conueniat, quorum neutrum somnium esse concedendum est. Neque verò somnia sunt, si quæ veræ cogitationes in somno nobis præter visa incidunt. Sed visio ea quæ ex sensuum pulsu, & agitatione nobis dormientibus qua ex parte dormimus, occurrit, id demum somnium est. Sunt autem quidam quibus in vita somnium nullum videre contigit. Rarum quidem hoc ipsum est, sed tamen accidit. Ac nonnullis quidem ita per totam vitam vsuuenit, alij autem progredientibus corroboratisque iam ætatibus, cum antea somnium nullum vidissent. Causa autem cur non incidant, eadem est quæ efficit cur pueri non somnient, & cur minus somnia occurrant post cibum. qui enim ita à natura instituti sunt, ut magna in eis exhalationum copia ad superiorem locum & cerebrum feratur, aut rursus deorsum missa magnis motibus omnia impleat, in eis consentaneum est nullam animo visionem obiici. Corroborata autem ætate non est alienum, si somnia videant, præsertim cum mutatione aliqua, aut ætatis, aut affectionis, necesse sit hanc ipsam repugnantiam consequi.

ARISTOTELIS DE DIVINATIONE
 QUAE IN SOMNO
 EXISTIT, LIBER.

DE diuinatione autem quæ in somnis oritur, eue- Cap. I.
 niræque à somniis dicitur, hoc verè dici potest,
 nec eam contemnere facilè esse, nec ei fidem ha-
 bere. Nã & omnes vel plerosque assentiri som-
 nia aliquam notam habere, fidem facit, autho-
 ritatémq; habet, quasi id ita esse, experientia cõ-
 pertum sit. & de quibusdam ex somniis diuinationem esse, non est

D. iij.

incredibile. Quadam enim ratione nititur. Itaque de aliis somniorum generibus existimare licet eodem modo. At verò nullam causam consentaneam cernere, qua eueniat, id denique facit, ut eius nulla sit authoritas. Nam Deum esse qui somnia mittat, præter alia quæ à ratione aliena sunt, etiam illud alienum est, & Dei maiestate indignum, eum illa non optimis viris nec prudentissimis, sed quibusuis mittere. Sublata autem causa quæ à Deo ducitur, alia consentanea nulla videbitur. Causam enim reperire, cur aliqui futura de iis præsentiant, quæ in columnis Herculis aut in Borysthene sint, maius est, quàm quò nostra sapientia peruenire possit. Igitur somnia vel causæ sint necesse est, vel notæ rerum futurarum, vel euentus, idque aut omnia, aut quædam eorum, aut unum tantummodo. Causam autem appello, veluti luna causa est cur sol deficiat, & labor febris causa est. Nota autem & signum defectionis est, cum astrum subire incipit, linguæ verò asperitas febris: casus autem cum aliquis ambulat, solis defectio. Neque enim nota est hæc defectionis, neque causa: nec ambulationis, aut itineris defectio. Itaque nihil eorum quæ casu fortè, temerè eueniunt, semper aut plerunque accidit. An somniorum partim causæ sunt, partim notæ, ut eorum quæ corporibus eueniunt. Dicunt enim clarissimi etiam medici obseruanda esse somnia diligenter. Quod cum omnes qui arte quavis præditi sunt existimare debent, tum vel maximè ij quibus aliquid propositum est ad considerandum, quique philosophantur. Motus enim qui interdum existunt, nisi permagni sint & vehementes, à maioribus qui vigilantibus incidunt, obscurantur. Quod contra fit in somno, in quo perexigui magni videntur esse. Idque sæpenumero in iis quæ dormientibus vsuueniunt, animaduerti licet. Ii enim & fulminasse tonuisseque putant, cum soni exigui aures eorum pulsant ac feriunt, & mellis aliarumque rerum dulcium se succum percipere, cum leniter pituita diffluit: & per ignem ambulare, magnoque calore affici, cum calor exiguus aliquam eorum partem occupat. Quæ quidem omnia cum excitati sunt, ita se habere intelligunt. Ita fit, ut quoniam omnium rerum parua sunt initia, perspicuum sit morborum etiam esse, aliarumque affectionum, quæ in corporibus posteris temporibus existunt. Ex quo illud etiam perspicuum est, necesse esse hæc ipsa à dormientibus magis animaduerti hæc notari, quàm à vigi-

à vigi-

à vigilantibus. Quinetiam non est absurdum, nonnulla eorum quæ secundum quietem videntur, causam esse suarum cuique actionum. Vt enim cum aliquid acturi sumus, aut in opere occupati, aut etiam egimus quid, plerunque in somniis in eis rebus esse, & aliquid tale moliri videmur, idque fit propterea quod via quædam ab iis initiis & causis quæ interdum incidunt, preparatur: sic rursus necesse est eos etiam motus qui secundum quietem eueniunt, sæpe initium causamque dare iis quæ interdum geruntur, propterea quod eorum etiam ratio, & notitia nocturnis visis præmuniatur. Atque hoc quidem modo quædam somnia, & significationes, & causæ esse possunt. Alia autem casu fortè, temerè eueniunt: eaque maxime quæ longa serie altiùsque repetuntur, & quorum in nobis causa non est, sed de bello nauali, iisque omnibus quæ magnis à nobis interuallis disiuncta fiunt. Verisimile est enim in his rebus eodem modo rem se habere, quo cum alicuius rei mentionem facit quispiam, & id ita casu euenit. Quid enim hoc etiam secundum quietem prohibeat? Imò hoc modo verisimile potius est multa eiusmodi euenire. Vt igitur illic mentio huius rei nec causa est, nec significatio euentus illius, sic neque somniū cur euenierit ei qui viderit, nec causa est, nec significatio, sed casus. Itaque pleraque somnia non eueniunt. Quæ enim casu eueniunt, ea nec semper nec plerūque fiunt. Omninoque somnia quoniam aliis etiam quibusdam animantibus videntur, à Deo non mittuntur, nec ad eum finem nobis mittuntur. Sunt tamen δαιμόνια. Siquidem natura δαιμόνια, non diuina est. Id quod hinc sciri potest, quod valde obscuro loco nati homines, futura longè antè prospiciunt, & somniant, quasi non à Deo somnia mittantur, sed omnibus quibus data est, veluti loquax natura, & atrabile abundans, varia visa offeruntur. Quoniam autè multis variisq; motibus agitantur, rerum futurarum euenta coniciunt & assequuntur, ut nonnulli vnà certantes aliquando præmium auferunt. Vt enim dici solet, Si sæpe iacias, aliud aliàs ieceris. Quod etiam fit in somniis. Nec verò mirum videri debet, si pleraq; somnia non eueniant, cum pleraque etiam earum significationum quæ ad corpus nostrum pertinent, & quæ à naturis cælestibus portentuntur, ad exitus non perducantur: quo in genere sunt ea quæ aquam ventosque portentunt. Si qua enim vis alia maior oriatur,

quàm a qua originem erat res habitura, non sequitur id cuius erat significatio. & pleraque eorum quæ rectè agenda censuimus, à valentioribus causis dirempta sunt. Omnino enim nō omne quod futurum fuit, euenit, neq; idem est τὸ ἐσόμνον, καὶ τὸ μέλλον, id est, quod erit & futurū est, sed tamen fatendum est & causas esse, quæ impedimento fuerint, quo minus absoluta sint, & hæ ipsæ significationes factæ sint aliquarū rerum quæ nō euenierint. De iis autem somniis quorū non sunt eiusmodi causæ, quas diximus, sed disiunctæ sunt, vel tēporibus vel locis, vel magnitudine, aut quæ nihil horū habēt, sed tamen causas in se iij quibus visa sunt somnia, non cōtinent: in iis certè, nisi casus & fortuna dominātur, hæc potius ratio quæ sequitur, afferenda est, quàm id quod vult Democritus, qui eorum causas facit imagines & fluxiones. Vt enim cū aliquis aquam, aut aëra pellit, id etiam aliud pellit, illóque quiescente, interdum ad quoddam tempus motus ille durat, eo qui mouerat, absente: sic nihil prohibet motus aliquos, & sensus in animos somniātium obrepere ab iis rebus, à quibus ille imagines & fluxiones efficit, & cū influunt, magis sensu percipi noctu: quòd cū interdum huc atque illuc impelluntur, dissipentur. Magis enim vacuū est, ac liberum calum ab omni motu & perturbatione noctu, propterea quòd tranquilliores noctes sunt. & motus quidem ipsi corpus sensu afficiunt magis secundum quietem, quia dormiētes paruos etiam motus & agitationes interiores facilius percipiāt, quàm vigilātes. Hi autem motus visa obiiciunt, ex quibus futura de rebus eius generis præsentiant. Ob eamque causam hi motus animi de fece vulgi hominibus, non sapientissimo cuiq; incidunt (Interdum enim sapientibus etiā occurrerent, si visa Deus hominibus daret) sed illud modò verisimile est vulgus futura prænoscere: quia scilicet eorū mens minus referta curis, & veluti deserta omnibus cogitationibus vacua facilius cōmouetur, & impellentis ratione agitur. Quòd si qui furentes futura præsentiant, motus ad naturā accommodati in causa sunt, qui eos non offendunt, sed ab eis summoventur. Itaq; externorū sensu afficiuntur maximè. Nōnulli autem sunt qui somnia certiora habent, notiq; de notis & amicis aliqua præsentire solent, propterea quòd noti & amici alij aliis curæ sunt. Vt enim se procul magis agnoscunt, & præsentiant, sic

eorum

eorum qui noti sunt, motiones notiores. Melancholici verò propter animi impetum vehementiorem, ut eminus iaculantes collimant, & quòd facile ac citò animũ mutant, id quod cõsequens est, cernunt. Quasi animi Philægidæ poemata, furentes ea quæ simili serie ordinèq; cõtinuantur, & dicunt, & sentiunt: verbi gratia, poema quod Venerẽ appellavit, & ita cũ principio reliqua coniungunt. Et præterea propter animi impetũ quo feruntur, motus eorum ab alio non excutiantur. Is autem demũ optimus somniorum coniectõr est, qui similitudines rerum potest cognoscere (Est enim cuiusvis recta clarãque somnia internoscere) similitudines autem dico propterea quòd visa, quemadmodum iam dixi, similia ferè sunt iis imaginibus quæ in aqua cernuntur. illic autem si quædam sit paulo maior perturbatio & impulsio, nullo modo species & imagines ad verarum rerum similitudinem accedunt. Accuratè verò species rerũ is demum internoscere potest, qui celeritate quadam motũque ingenij sensu deprehendere, atque perspicere potest dissimiles, atque distortas imagines, sintne hominis, an equi, an quarumlibet aliarum rerum. Atque idem quodãmodo de somniis iudicandum, quãdoquidem perturbationes recta & clara somnia excludunt. Ac quid somnus sit, quid somnium, & quamobrem utrũque eueniat, & præterea de diuinatione per somnium, diximus. Nunc de communi motu animantium dicendum est.

ARISTOTELIS DE MOTU ANIMANTIVM LIBER.



DE motu animalium quicquid in quoq; genere eorũ cernatur, quæ illius differentiæ, quæq; cause sint eorum, quæ sigillatim eis conveniunt: aliis libris dicendum est. Nunc autem quæ causa sit communis, cur animalia quovis motu ciantur (alia enim animalia volant, alia nant, quædam ingrediuntur, nonnulla moventur aliis modis eiusdem generis) videndum est. Ac illud quidem principium esse aliorum motuum id quod seipsum moveat, idque ab omni motu esse liberum,

Cap. I.

& quod prius motū afferat, id non moueri aliunde oportere, antè
 expositum est, cum motus sempiternus an esset, & si esset quidnā
 esset, explicaremus. Hoc autem non solum ex oratione generali in-
 telligendum est, verum etiam ex singulis rebus, & iis quæ sub sen-
 sum cadunt, quorum sanè gratia ea quæ de vniuerso genere sunt
 exquirimus, & ad quæ sermones generales accommodari censemus
 oportere. In his enim animaduerti licet, fieri non posse, vt re nulla
 quiescente, & stante motus consequatur, ac primùm in ipsis ani-
 mantibus. Si qua enim pars mouetur, aliquam quiescere oportet: ob
 eamque causam flexus animalibus dati sunt. Quasi enim cetro in-
 flexionibus vtuntur, efficiturque totum membrum, in quo est infle-
 xio, & vnū & duo, & rectū & inflexum, facitq; flexus, vt vim
 se mouendi habeat, atque re ipsa moueatur. Cum autem inflectitur
 ac mouetur, vnum quidem punctum ex iis quæ sunt in flexu mo-
 uetur, aliud verò quiescit, nō secus ac si diametri partes *A* & *D*
 quiescant, *B* verò moueatur, & *A C*, fiat. Sed hīc centrum omni-
 no indiuiduum videtur: motum enim, vt aiunt, in his ipsis fingūt,
 cum nihil eorum quæ mathematici tractant, moueatur. Quæ autē
 in flexibus commissurisque reperiuntur, interdum vnum, interdū
 duo & possunt esse, & reuera fiunt. Sed tamen principium mo-
 tus qua ex parte principium est, quiescit, cum pars inferior mo-
 uetur, vt cum mouetur brachium, quiescit pars illa quam græci ὠ-
 λόμῳ vocāt, cum autem totum membrum, humerus: & cum ti-
 bia, genu, cum verò totū crus, id quod ἰχίον vocatur. Illud igitur
 perspicuum est, vnamquamque rem in se habere oportere aliquid,
 quod quiescat, vnde principium motus profiscatur, & in quo
 affirmata, & tota simul & per partes mouebitur, quæ tamē quies
 per se irrita sit futura, nisi sit extra quippiā, quod planè quiescat,
 ab omni que motu sit liberum. Sed operæ precium est diligentius de
 eo quod dictum, disputare. Habet enim disputationem quæ non so-
 lum ad animalia, verum etiam ad huius vniuersitatis motum con-
 uersionemque pertinet. Vt enim in ea necesse est esse aliquid, quod
 aliunde non moueatur, si modò moueatur, sic ac multo etiam ma-
 gis in animantibus aliquid sit extra oportet, quod nullo modo mo-
 ueri possit, & in quo fixo & firmo moueatur id quod mouetur. Si
 enim cedat semper, vt muribus qui sub terra sunt, vel iis qui in a-
 rena

rena iter faciunt, non progrediuntur, nec ingressus futurus est, nisi
 fixa terra stet, nec volatus, nec piscium progressus, nisi aër & ma-
 re contra fixa nitantur. Hoc autem diuersum sit ab eo quod moue-
 tur, necesse est, totumque à toto, idque quod ita immobile sit, nullam
 partem esse oportet eius quod pulsu agitetur. Aliter enim non mo-
 uebitur. Idque intelligi potest, ex eo quod quæritur, quamobrem na-
 uis extrinsecus, si quis conto malum pellat aut aliquam aliam par-
 tem, facile moueat, sin in ipsa nauis quispiam hoc conetur facere,
 nunquam mouere possit, ne si Tityus quidem flet, aut aquilo in in-
 terioribus nauis partibus, si modò quisquam est qui flet eo modo
 quem pictores faciunt. Eum enim ex se ventum emittere depin-
 gunt. Siue enim leniter ventum emittat, siue ita vehementer, vt
 ventum maximum faciat, siue aliquid aliud sit quod proiciatur
 aut pellatur, necesse est hoc primum, vt in aliqua eius parte quæ
 quiescat, fixus & hærens incitet, deinde rursus hæc pars aut ipsa
 aut ea cuius illa est pars, in aliqua re extrinsecus hærens fixa per-
 maneat. Is autem qui nauigium incitet, cum in nauigio ipse sit,
 & ipsi nauigio innitatur, rectè nauigium non mouet nec impellit,
 propterea quòd necesse sit id quo nitatur, fixum permanere. Ei au-
 tem accidit, vt idem sit & quod mouetur, & id quo nititur. At
 cū extrinsecus impellit aut trahit, mouet, quòd terra nulla sit pars
 nauis. Quæri autem hoc loco potest, si quid totum cælum moueat,
 idne & ab omni motu liberum esse, & nullam cæli partem esse,
 nec in cælo esse oporteat. Siue enim aliquid quod ipsum mouetur,
 cælum moueat, necesse est ipsum & in aliquo nixum quod sit im-
 mobile motum afferre, & nullam eius partem esse quod moueat siue
 statim immobile est id quod mouet, eodem modo necesse est non esse
 partem eius quod mouetur. Itaque hoc rectè asserunt, qui sentiunt,
 cum orbis voluitur, nullam eius partem quiescere. Aut enim totum
 necesse esset manere, aut eius coherentem naturam diuelli atq; di-
 rimi. Sed quòd vertices quandam vim habere existimant, cum nul-
 lius sint magnitudinis, sed sint extrema & puncta, hoc non rectè
 sentiunt. Nam præter, id quòd huius generis res nulla sua essentia
 constant, id etiam fieri nõ potest vt aliquid vno motu à duobus a-
 gitetur. Atqui polos duos faciunt. Atq; an sit aliquid quod eam ra-
 tionem ad vniuersum habeat, quæ terra ad animantia, & quæ per

existimamus: sed ut non necessario id sit, ex hac ratione efficitur. Natura enim potest esse, motus maior ea vi qua terra quiescit, & qua ignis superaque corpora cientur. Ac si motus superiores maiorésq; iam sunt, hæc omnia alia ab aliis vicissim dirimentur. Sin autem non sunt, sed esse possunt. (Infinitas enim non potest esse, propterea quod ne corpus quidem infinitum & immensum esse potest) certè cælum dissolui ac dirimi poterit. Quid enim hoc euenire prohibebit, si quidem in iis non est quæ fieri non possunt? in iis autem non est quæ fieri non possunt, si necessarium non est contrarium. Sed de hac questione alius erit ad disputandum locus. Nunc autem querendum est, utrum oporteat necne aliquid esse ab omni motu liberum, quod & separatum sit ab eo quod moueatur, & pars illius nulla sit, atque id an in hac vniuersitate ita esse sit necesse. fortassis enim alienum hoc esse videbitur, si motus principium interiorius esse ponatur. Itaque iis qui in ea sententia sunt, rectè hoc ab Homero dictum esse videbitur,

- „ Sed nunquam in terras summo deducere cælo
 „ Excelsumque Iouem vobis doctumque licebit,
 „ Diique Deaq; omnes, labor haud vos iuuerit ullus.

Atque illud quidem quod omnino est immobile, à re nulla commoueri potest. Hinc explicatur ea quæ modò posita est quæstio, utrum possit, nec ne, cæli conglutinatio dissolui, si ex principio quod motus expers sit, constitit. In animantibus autem non solum id quod ita est immobile, inesse debet, sed in iis etiam quæ loco mouentur, si qua ipsa sibi motum afferant. Eorum enim aliquid moueri oportet, aliquid stare ac quiescere, in quo hærens ac fixum id quod mouetur, pulsus agitabitur, veluti si quam sui partem animal moueat semper, vnum obfirmatur altero manente. De inanimis autem quæ motu cientur queri potest, an omnia in se ipsa habeant & id quod quiescat, & id quod moueat, & utrum hæc etiã necesse sit in aliquo eorū quæ extra sunt ac quiescunt, obfirmari, an id fieri non possit, ut in igne, aut terra, aut in aliqua re earū quæ inanimatae sunt quidē: sed in iis hoc reperitur à quibus primò hæc ipsa mouentur. Quæ enim inanima sunt, aliunde omnia mouentur. Principium autem eorum omnium quæ ita mouentur, ea sunt quæ seipsa mouent. Ac de his quidem talibus, quod ad animalia attinet, iam diximus.

se ipsa mouentur, his talibus rationibus ductus aliquis possit quæ-
 rere. Fabularum autem scriptores, qui Atlantem faciunt pedes
 in terra fixos habentem, videri possunt fabulam hanc ratione
 quadam ducti protulisse, quasi iste mediæ lineæ instar obtineat, &
 cælum circum vertices incitet. Idq; rationi consentaneum vsue-
 niat, quòd terra suis ponderibus nixa permaneat immobilis. Sed
 qui in ea sententia sunt, necesse est dicant, eam nullam esse partē
 huius vniuersitatis: ac præterea vim oportet parem faciant eius
 quod motum afferat, & eius quod quiescat. Est enim magna vis
 qua quiescit id quod manet, quemadmodum ea etiam qua mouet id
 quod mouetur, estque necessariò proportio quædam vt contrariorū
 motuū, sic & statuum, quorum omnium ij qui pares sunt, cū aliij
 ab aliis nihil patiantur & accipiant, maiore quadam vi qua ex-
 cellit, facile vincuntur. Itaq; siue Atlas, siue aliquid aliud est quod
 intus manens, moueat, non debet connitendo plus posse, quiete, qua
 terra fixa permanet, aut certè de medio suoque loco terra tolletur.
 Vt enim id quod motum affert, pellit, sic id cui motus affertur, im-
 pellitur: atque adeò secundum vires eodem modo. Mouet autem
 primū id quod quiescit, ita maior & amplior vis est aut simi-
 lis & par, quietis. Eodemque modo vis eius quod mouetur, nec mo-
 uet. Tantam igitur vim esse terræ oportebit in quiescendo, quan-
 tam totum cælum, atque id quod ipsum motu agitatur, obtinet.
 Quod si fieri non potest, illud etiam fieri non potest, vt cælum
 moueatur ab aliqua re earum qua in eo incluse sint. Existit autem
 quædam de motibus cæli partiū quæstio, quam vt superioribus fi-
 nitimam quispiam tractandam cōsiderandamq; suscipiat. Si quis
 enim vi mouendi, terræ quietem statūque superet, non est id qui-
 dem dubium, quin eam suo loco ac medio sit moturus. Atque illud
 etiam perspicuum est, vim eam à quo vis hæc profecta, sit, nō esse
 infinitam & interminatam, quippe cū ne terra quidem infinita
 sit magnitudinis. Ex quo fit vt ne eius quidem gruitas. Quoniam
 autem quod fieri non potest, multis modis dicitur, (neque enim eo-
 dem modo & vocem, & eos qui supra Lunam sunt, cerni non pos-
 se dicimus: nam illa necessariò non videbitur, hi verò cū sint in
 iis qua sub aspectum cadere possint, videri tamen illic non pos-
 sunt) cælum & occidere & dirimi non posse necessariò quidem
 existi-

Omnia enim eius generis necesse est & in se habere id quod quiescat, & extra aliquid in quo se obfirment. An verò aliquid sit in celo quod etiam primo motum afferat, incertum est, & de huiusmodi principio differendi alius locus est. Omnia autem animalia quæ motu cientur, in iis quæ extra sunt, fixa mouentur, & cum respirant, & expirant. Neque enim refert, magnùmne pondus eiiciāt an paruum, id quod consputantes tussientesque faciunt, & ij qui edunt spiritum. Vtrum autem in eo quod seipsum loco mouet solo, aliquid stare ac quiescere oporteat, an etiam in eo quod per se commutatur atque augetur, quæstio est. Nam primi ortus & interitus alia est ratio. Si enim est ea quam ponimus ortus, interitusque motio prima ea ipsa causa erit etiam cæterorum fortasse motuum omnium. Quemadmodum autem in vniuerso, sic in animantibus motus hic primus est, cum omnibus suis iam partibus & numeris perfecta absolutaque sunt, vt etiam accessionis si quando fiat, & & immutationis ipsa sibi causa sint, sin minus non est necesse. Prima autem incrementa, primæque immutationes & ab alio, & per alia proficiscuntur. At verò ortus atque interitus nihil ipsum sibi causa esse vlllo modo potest. Nam & id quod mouet ei quod mouetur, & quod gignit ei quod gignitur antecedere oportet, cum nihil seipso sit antiquius. Ac de animo quidem, vtrum moueatur, necne, & si mouetur quomodo moueatur, antè dictum est in iis quæ de illo explicauimus. Quoniam autem in anima omnia ab alio mouentur, id quidem quod primum mouetur, & semper mouetur, quoniam modo moueatur, & quemadmodum motum afferat cæteris id quod primò mouet, antè in libris de Prima philosophia, expositum est. Restat, vt quo modo animus corpus moueat, & quod animantium motus principium sit, videamus. Cæteris enim præter vniuersi motum, animatae res causam mouendi dant & afferunt, quæ quidem aliæ ab aliis non moueantur, quòd aliæ in alias incurrant. Itaque finem terminumque earum omnes motiones habent, quippe cum etiam rerum animatarum motus fines, sibi propositos habeant. Nam cum animata omnia ob aliquam causam & moueant & moueantur, fit vt in eo quo suos motus appetitusque referunt, extremum mouendi constituent. Videmus autem rationem, visionem, consilium, voluntatem & cupiditatem animalia impellere, quæ quidem omnia

ad

ad mentem appetitumque referuntur. Nam visio & sensus eundem quem mens, locum obtinent, quippe cum omnia pertineant ad iudicandum. Quanquam inter ea distinctio ac dissimilitudo est quedam, quam alio loco explicauimus. Voluntas autem, ira & cupiditas quidam sunt appetitus. Consilium verò cum rationis & appetitus communis sit, fit vt id etiam quod sub consilium cadit, eodem pertineat. Non omne autem quod ratione tractatur sub electionem cadit, sed id demum quod rerum agendarum extremum est. Itaque quod eiusmodi est, id vnum bonorum ad agendum impellit, non etiam omne quod est honestum. Qua enim ex parte aliud ad hoc quasi extremum refertur, & quatenus finis est aliorum quæ alicuius gratia sunt, eatenus ad agendum impellit. Ponendum est autem id quod bonum videtur, boni locum obtinere, & quod iucundum est, quoniam boni speciem gerit. Ex quo perspicuum est, esse quatenus similiter moueatur id quod sempiterno motu cietur, ab eo quod semper impellit, & vnumquodque animantium: esse etiam quatenus aliter. Quocirca alia semper mouetur, animalium autem motus terminum finemque habet. Quod autem semper honestum ac pulchrum est, & quod verè ac prius bonum est, & non aliàs est, aliàs non est, id diuinius ac multo præstantius est, vnde etiam fit vt prius sit & antiquius. Ac primum quidem eiusmodi est, vt moueat & impellat cum ab omni motu sit liberum. Appetitus autem & id in quo inest vis appetendi cum motu cietur, impellit ad agendum. Ab vltimo verò eorum quæ mouentur, non necesse est quicquam moueri. Ex quibus illud etiam perspicuum est, mutationem loci re-ctè extremum esse eorum motuum, qui in ea quæ gignuntur, cadunt: præsertim cum moueantur loco, & ingrediantur animantia duce suo quodque appetitu aut consilio, cum aliquo in sensu aut visione facta mutatio est. Quis ergo fit, quærat aliquis, vt qui mente animoque aliquid complectitur, interdum agat, interdum non agat, & modò impellatur, modò non impellatur ad agendum? At enim simile quippiam hinc accidere & vsuuenire videtur, quod iis qui de rebus ab omni motu liberis aliquid mente & ratione concludunt: sed hoc interest, quod illic perceptum & cognitio finis est (cum enim duas propositiones animo ac mente comprehendit, conclusionem comprehendit & reponit in animo) hinc verò ex duabus pro-

positionibus conclusio quæ ad agendum pertinet, efficitur, veluti
 cum quis animo concipit, omni homini esse ambulandum, & quod
 ipse homo est, ambulat statim. Si verò censeat, nemini homini nunc
 ambulandum esse, & idem homo sit statim quiescit, atq; hæc duo
 facit, nisi quid obstet & vim imferat. Agendum mihi est bonum,
 domus autem bona commodaque est, statim domum construit &
 ædificat. Vestis autem integumentum est, veste careo, quo careo id
 faciendum est, veste autem careo, vestis igitur facienda est, &
 conclusio hæc, Vestis facienda est, ad agendum pertinet. Agendi
 autem principium ab initio ducit, & si vestis sit futura, quod
 primum est necesse est esse, quod si sit, id etiam, atque hoc statim
 facit. Illud ergo perspicuum est, conclusionem ad agendum per-
 tinere. Propositiones autem quæ ad agendum valent, ex duobus
 generibus conficiuntur, ex bono, & ex eo quod fieri potest. Vt au-
 tem nonnulli eorum qui rogata ponunt, sic mens quæ præest & im-
 perat, alteram propositionem quæ perspicua claraque est, non con-
 siderat. Vt si ambulare homini utile est, an sit ipse homo non labo-
 rat. Itaq; cætera omnia quæ ratione non subducta gerimus, citò a-
 gimus. Cum enim vel sensum ad finem propositum nobis adhibemus,
 vel visionem vel mentem nostram statim id agimus cuius cupidita-
 te ducimur. Nam interrogationis aut cognitionis locum appetitus
 actio obtinet. Appetitus mihi bibendum esse censeat, hoc autem in-
 poculentis esse vel sensus admonuit, vel visio, vel mens, statim se-
 quitur actio. Atq; hoc quidem modo animantes ad mouendum & a-
 gendum impelluntur, vt extrema causa mouendi sit appetitus, qui
 impulsus est vel à sensu, vel à visis, & animi notitia. Eorum autem
 quæ gerere cupimus, partim cupiditate, & ira, partim appetitu ac
 voluntate ducti, alia facimus, alia agimus. Quemadmodum opera
 quæ sua sponte incitantur, mouentur paruo impulsu, solutis laxa-
 tisque compaginum clauiculis aliis alias protrudentibus, & paruum
 currum incitantibus, à quo statim id quod in eo vehitur mouetur
 & rursus in orbem incitatur, quòd impares rotas habeat: minor e-
 nim centri instar obtinet, quemadmodum in cylindris: sic anima-
 lia mouentur. Habent enim instrumenta eiusmodi, neruorum of-
 ficiūque naturam. Ossa enim sunt vt illic ligna & ferrum, nerui
 autem clauiculorum quibus compagine continentur locum tenent,
 quibus

quibus laxatis ac remissis, mouentur. Ac in operibus quidem quæ per se mouentur, & curribus non est commutatio, quandoquidem si minores interiores rotæ efficerentur, & rursus maiores, in orbem etiam idem incitaretur. In animantibus autem idem amplificari & imminui potest, figuræq; ac formæ membrorum mutari, cum partes calore augentur, ac rursus frigore contrahuntur, & immutantur. immutant autem visa, sensus & notitiæ rerum. Sensus enim statim quædam sunt commutationes. Visa verò & notiones vim rerum obtinent. Species enim & imago caloris ac frigoris, iucundæ rei & horribilis quæ in animo obuersatur, talis est propemodum, qualis vnaquæque res. Itaque horrore quodam & metu afficiuntur, ij qui eas res sola animi cogitatione complectuntur, quæ quidem omnia affectiones sunt & commutationes. Cum autem in corpore aliqua commutantur, partim maiora, partim minora fiunt. Nec verò dubium est, quin parua mutatio in principio, magnas & multas mutationes alibi afferat, vt siquid in clauo intempestiuè & importunè cõmutetur, magna in prora sequitur mutatio. Quod idem calore fit, aut frigore, aut alia affectione generis eiusdem. Cũ enim fit in corde cõmutatio, etiã si in eius parte quæ sub sensum propter paruitatem non cadit, existat, tamen magnã facit in corpore & ruboris, & palloris & horroris & tremoris, horũmq; cõtrariorũ dissimilitudinem. Ergo principium, vt dictũ est, motus ab eo ducitur, quod in rebus agendis persequendum est atque fugiendum. Quorum quidem notitiam & visionem, necessariò calor & frigus sequitur. Quod enim dolore affert, id est quod declinandum est, quod autem voluptatem, expetendum: sed in paruis rebus hoc si contingat, percipi nõ potest. Ea autem quæ dolorem & voluptatẽ pariunt, omnia ferè cũ frigore quodam sunt & calore coniuncta, idque ex affectionibus perturbationibũsq; perspici licet. Spes enim, metus, concubitus, cæteræque res asperæ & iucundæ, quæ ad corpus pertinent, aliæ certam partem calore & frigore afficiunt, aliæ totum corpus. Recordationes verò & expectationes cùm hæc ipsa quasi simulacra quædã adhibet, aliàs minorem, aliàs maiorem ad hæc efficienda materiam causamq; afferunt. Itaq; optima quadam ratione construuntur & comparantur ea quæ intimo corpore cõtinentur, quæq; sunt in principiis partium quæ instrumentorum vim

E. ij.

habent cū mutantur ex concretis in humida, & ex humidis in
 concreta, molliāque & dura vicissim alia ex aliis commutātur &
 fiunt. Quæ cū hoc modo fiunt, & præterea cū id quod efficien-
 di, & id quod patiendi vim habet, eam naturam vimque habeāt,
 quā sæpenumero diximus, cū ita accidit, vt sit id quod vim habet
 efficiendi, & alterum quod ferendi, & quasi accipiendi, nec ipsa
 quicquam eorum quæ ad eorum rationem pertinent, desiderant,
 tum statim illud facit, hoc accipit. Ob eāque causam simulat-
 que intelligit eundem esse, etiam proficiscitur, nisi aliquid sit a-
 liud quod impediāt. Ac membra quidem quæ pro instrumentis da-
 ta sunt, affectiones ipsæ aptè comparant, ipsas autem affectiones,
 appetitus, appetitum visio, quæ vel à notione, vel à sensu pro-
 ficiscitur. Simul autem ac citò id fit, per eorum quæ habent inter se
 affectionem agentis & patientis naturam. Quod autem motum af-
 fert, ac primum animali, id in aliquo principio sit necesse est. Fle-
 xum porrò vnius principium esse alterius extremum finemq;, di-
 ximus. Itaque eo interdum natura pro vno, interdum pro duobus
 vtitur. Cū enim illinc fit motus, necesse est vnum signorum ex-
 tremorū quiescere, alterum moueri. quippe cū antea docuerimus
 id quod motū afferat, in aliquo quod quiescat, niti & fulciri oport-
 ere. Mouetur ergo & nō mouet extrema pars brachij. Flexus autē
 eius qui in olecrano inest, id quidē mouetur, quod in eo est quod to-
 tum mouetur, sed aliquid etiā necesse est esse, quod ab omni motu
 sit liberū: quod quidem signum vnū posse esse dicimus, cū re ipsa
 duo fiat. Ita si animal brachium esset, in huiusmodi commissura, a-
 licubi animus esset, qui motum afferret. Quoniam autem fieri po-
 test, vt aliquid eorum quæ animo carent eandem rationem ad ma-
 num habeat, vt si in manu bacillū moueat, certè animus in neutro
 extremorum esse vllō modo potest, nec in extremo eius quod moue-
 tur, nec in altero principio. Nam quoniā lignum in manu & prin-
 cipium & finem habet, propterea efficitur, si in bacillo non in sit
 principium quod vim mouendi ab animo habeat, ne in manu qui-
 dem esse. Eandem enim quam bacillus ad manū rationem extrema
 pars manus ad carpum habet, & rursus hæc ipsa pars ad gibbe-
 rem. Nihil enim ea quæ cōnexa vinctāque sunt ab ijs quæ nō sunt,
 differunt, quandoquidem bacillū est veluti pars quedam separabi-
 lis.

lis. In nullo igitur sit principio necesse est, quod etiam est alterius finis & extremum: nec si sit aliud quod sit quàm illud exterius. Veluti extrema bacilli partis in manu principium est, & huius in carpo. Quòd si in manu non est, quòd superius sit etiam principium, ne hic quidem erit. Cùm enim totum etiam olecranium quiescit, omne quod deorsum cohæret, mouetur. Quoniam autem eodem se modo res habet in dextra & sinistra parte, & simul contrarias illas partes moueri accidit, ita vi dici non possit, quòd dextra pars quiescat, læuam moueri, nec contrá. Quoniámque in superiore semper vtriusq; parte principium situm est, animi sit principium necesse est in medio qui motum afferat. Vtriusque enim extremi medium extremum est. Quod etiam ita est in motibus, & iis qui à partibus superioribus, & iis qui ab inferioribus oriuntur ac fluunt, veluti ij qui à capite, & ij qui à tergo & spina fluunt, in iis animantibus quæ tergum habent. Idque non sine causa & ratione contigit. Hic enim sedem sensus esse dicimus. Ita fit vt cùm locus is qui principium continet, à sensu commutatur, & mutatur, eæ etiam partes quæ cohærent, & dilatatione amplificationeque & contractione vna mutantur, vt necesse sit hinc motum oriri animantibus. Pars autem corporis media, vi quidem ac facultate vna est: qua verò ratione accipitur in suis functionibus, plura effici necesse est. Etenim simul à principio membra mouentur, quorum cum vnum quiescit, alterum motu cietur, vt in A B C, B mouetur, & A mouet. Atqui aliquid quiescat oportet, si futurum est vt vnum moueatur & alterum motum afferat. Vnū igitur cùm A sit natura vique sua, re ipsa & officio duo erit. Quocirca sit necesse est non punctum, sed magnitudo quædam. Atqui fieri potest, vt C vna cum B moueatur. Ita necesse est vtrumque principium eorum quæ in A sunt, cùm etiam moueantur, mouere. Sit igitur oportet aliquid aliud præterea quod motum afferat, neq; moueatur. Nã obfirmari possunt à se inuicem extrema & prima quæ in A mouentur, vt si qui tergis offirmatis, crura commoueant. At necesse est esse aliquid quod vtrique motum afferat. id autem est animus, qui quidē ab eiusmodi magnitudine differt, & inest in ea. Ac ea quidem ratione, qua motus causa explicatur, mediū est appetitus, qui motum affert cum ipse etiam mouetur. In iis autem naturis quæ a-

nimatae sunt, aliquod eiusmodi corpus esse debet. Ac illud quidem quod mouetur, sed eam vim habet ut moueat, vim alienam accipere & quasi pati potest. Quod autem motum affert, id vim quandam habeat necesse est. Omnia autem animantia & spiritum habere innatum videntur, & ab eo vires habere. In aliis quidem libris quoniam pacto innatus spiritus conseruari possit, diximus. Is autem ad principium quod animus est, eandem rationem habet, quam signum quod in flexibus mouet & mouetur, ad id habet, quod motus omnis est expers. Quoniam autem principium in aliis in corde situm est, in aliis in aliquo rationis eiusdem, ob eam causam spiritus etiam inatus hic habere sedem videtur. Ac spiritus quidem utrum idem est semper, an alius atque alius semper oritur, alia sit disputatio. eadem enim etiam de aliis partibus institui potest. Videtur autem ita à natura institutus esse, ut vim mouendi habeat, & vires conferat. Motus verò munera duo sunt, pulsus & tractus. Quo fit ut instrumentum eam vim habeat, ut & amplificari possit & contrahi, cuiusmodi natura est spiritus. Nam & cum sine vi contrahitur ad trahendum, & ob eandem causam, ad pellendum valet? & gravitatem pondusque habet ad ea quae ignem imitantur, & leuitatem ad contraria. Quod autem mouere debet, id vim eam habere non oportet commutatione. Corpora enim quae natura constant praestantia quadam & excessu ita alia ab aliis superantur, ut & id quod leue est, deorsum ab eo quod grauius, & quod graue, sursum ab eo quod leuius est, cedendo pellatur. Ac quae pars sit qua cum mouetur ipsa, animus mouet, quamque ob causam, diximus. Hoc autem intelligendum est, animal ita institutum compositumque esse, ut est respublica quae bonis legibus gubernetur. Nam ut in repub. cum semel ordo constitutus est, nihil eorum quae adesse oportet in quoque; eorum quae geruntur separato & absente principe, desideratur. sed suum quisque munus exequitur, ut praescriptum est, omniaque suo ordine propter consuetudinem geruntur: sic in animalibus hoc ipsum natura duce efficitur, & quod omnia cum ita composita sunt, solent, suo quodque officio fungi. Itaque non est necesse in quoque membro inesse animum, sed quia in quodam corporis principio est, caetera viuunt necessario quod cohererent, suis autem muneribus natura duce funguntur. Ac quo quidem modo

do voluntariis motionibus animãtia moueãtur, quibusq; de causis, dictũ est. Aliquibus autem etiã inuita, in quibusdã partibus permouentur, plurimis verò non voluntariis. Dico autem animalibus inuitis motus oriri, vt eum qui in corde est & eũ qui in pudendis partibus. Plerũq; enim siquid apparuerit aut visum sit, quãquam mens ipsa non præscribat & iubeat, tamẽ eæ partes permouentur. Nõ voluntarios autem voco, vt somnũ & vigiliã, vt respiratiõnem, omnesq; qui sunt eiusdem generis. Horũ enim nulli nec visio nec appetitus planè imperat. Sed quoniã necesse est animalia iis cõmutationibus vti quas affert natura, cõmutatis autem partibus, aliàs augescere, aliàs imminui, ita, vt non iam moueantur, nec commutẽtur iis varietatibus, quæ se mutuò consequi solent. Causæ autem motuum naturales: & quæ sanè præter rationẽ existunt motiones partium quas cõmemorauimus, tum deniq; oriuntur, cùm immutatio inciderit. Nã & mens & pars ea in qua visa imprimũtur quemadmodum antè dictũ est, causas efficientes perturbationum afferunt. Imagines enim eorum in quibus vis est agendi offerunt. Hæ autem partes maximè omnium, illas quas dixi motiones manifestè accipiunt, propterea quòd vtraq; vt quoddã animal separatũ, est. Idq; ob eam causam fit, quòd humorem vitalem habet. quod quidem in corde perspicuum est, vnde etiã sensuum fons & principium illic est. Partem autẽ quæ ad procreandum valet, eam vim habere hinc intelligi potest, quòd ab ea, vis seminis quasi animal quoddam erũpit. Motus autem & in principiũ à partibus & in partes à principio nõ sine causa influunt, aliq; ad alios ita vicissim perueniunt, principiũ enim A intelligere debemus. Ita motus per vnumquodq; elementorum quæ pòst scripta sunt, in principium delabuntur, & à principio quod mouetur, & mutatur veniunt, quoniã multa esse potest. Ac principiũ quod B attribuimus ad B pertinet principiũ autem C ad C, vtriusq; autem principiũ, ad vtrũq;, à B autem in C, fit motus: cùm autẽ à B, ad A venit, vt ad principiũ fit motus, ab A verò ad B, vt à principio. Præterea interdum cũ eadem animo & cogitatione reputauimus, motus tamen is qui rationem ducem non sequitur, in partibus oritur, interdum non oritur. Quod fit propterea quòd aliàs materia quæ vim accipiendi habet, inest, aliàs non tanta, vel talis, quanta vel qua-

E. iij.

lis esse debet. Ac de partibus quidem vniuscuiusque animantis, & de animo, & præterea de sensu, de memoria, de somno, & de communi motu, diximus, causasque omnium exposuimus. Restat vt de ortu dicamus.

ARISTOTELIS DE DIUTURNI-
TATE ET BREVITATE
VITAE, LIBER.

Cap. I.



Causæ quæ sint, cur animalium aliis diuturnæ vitæ, aliis exiguæ vsura data sit, & omnino quæ diuturnæ, quæ brevis vitæ causæ sint, videndum est, cuius disputationis initium necessario primum à questione quæ de iis instituitur, ducendum est. Neque enim perspicuum est, vtrum dissimilis an eadem causa sit omnibus & animantibus & iis quæ oriuntur è terra, cur nonnulla diuturna vita, alia breui fruuntur. præsertim cum eorum quæ terra ex se fundit, partim annum, partim diu viuant. Illud etiam perspicuum non est, vtrum eorum quæ natura conglutinavit & construxit, eadẽ sint quæ diu viuant, & quæ natura valeant, an hæc ipsa seiuncta sint, & an eadem sint quod brevis est vitæ, & quod in morbum procliue est, an à morbis quibusdam corpora quæ natura in morbos procliuia sunt, in naturam transeunt eorum quæ brevis sunt vitæ, à nonnullis verò nihil prohibeat eos longa vita frui qui morbis sint obnoxij. Ac de somno quidem ac vigiliis antè diximus, de vita autem & morte post differendũ erit, itémque de morbo & valetudine quantum ad eam philosophiæ partem pertinet, quæ in naturæ ratione versatur. Nunc causa quæ sit cur alia diu, alia breui tempore viuant, iam vt dixi, videndum est. In quo etiam consideranda erunt ea quæ hanc dissimilitudinem habet, siue genere inter se differat, & vniuersum genus à toto genere, siue eidẽ speciei subiecta sint, & alia ab aliis hoc ipso differat. Genere autẽ differre dico, vt inter hominem & equum interest. nam hominũ generi diuturniorem vitam, quàm equorum generi natura largita est. Specie autẽ,

vt

Ut homo ab homine differt. nam alij homines diu viuunt. alij minus qui pro aliorum locorum temperatione differunt. Genera enim hominum quæ loca calida incolunt diutius viuunt, quæ autem frigida, breuior eorum vita est. Atque etiam in eorum qui eadem loca incolunt, nonnullis hæc ipsa dissimilitudo reperitur. Intelligendum est autem quid sit quo facile consumatur, & quid non facile, in iis quæ à natura iuncta sunt. Ignis enim & aqua quæque his finitima sunt, cum eandem vim non habeant, cause sunt a iam aliis ortus & interitus. Itaque consentaneum est unumquodque etiam aliorum, quæ ex his sunt & constant, naturam horum imitari, quæ quidem ex multorum compositione non sint, ut domus est. ac de aliis quidem disputare, non est huius loci & temporis. Sunt enim multarum rerum proprii ac sui interitus, ut scientiæ, valetudinis, & morbi, quæ intereunt, atque id, non occidentibus, sed saluis iis in quibus insunt, veluti ignorationis interitus recordatio est & doctrina, scientiæ obliuio & captio. Cõsequentia autem quadam fit, ut rebus à natura conglutinatis & iunctis, occidentibus, aliarum etiam interitus sequatur. Animantibus enim intereuntibus, & scientia quæ in eis est & valetudo vnà occidunt. Itaque ex his quispiam de animo ratiocinari poterit. Si enim est non natura, sed ut scientia in animo, sic animus in corpore est, sit necesse est eius etiam aliis interitus, præter eum quo interit, vnà cum corpore. Ita quoniam non videtur talis, profectò alio modo ad corpus affectus est. Hoc autem rectè quærat aliquis, num id quod interire potest, aliquo loco interitus sit expers, veluti ignis in superis, vbi nullum est contrarium? Ea enim quæ contrariis subiiciuntur, consequentia quadam & casu intereunt, eo ipso quòd illa occidant. Contraria enim alia ab aliis conficiuntur. Casu autem nullum contrariorum quæ in essentiis insunt, interit. Atque illud fit propterea quòd de subiecto nullo essentia dicatur. Ita fieri non potest, ut id cui nihil contrarium est, & vbi non est, intereat. Quid enim erit, quod ipsum interimat, cum à contrariis modò confici possit, quæ ei aut nulla sunt omnino, aut certè in hoc loco? An aliqua ex parte hoc verum est, alia non est? Fieri enim non potest, ut ei quod ex materia constat, non sit quodam modo contrarium. Omnino enim rebus calor vel rectitudo conuenire potest. omnes autem vel calidæ,

vel rectæ, vel candidæ esse non possunt. Sic enim affectiones separatae seiunctæque, essent. Quòd si cum primum est id quod vim efficiendi habet, & id quod accipiendi, semper illud agit, hoc patitur: fieri non potest, quin mutatio consequatur. Præterea si necesse est aliquid redundare, id autem quod redundat contrarium est, semper enim ex contrario mutatio fit, & id quod redundat prioris rei reliquiæ sunt. Quòd si contrarium omni ex parte vi quadam ipsa adhibita expellatur, hoc profectò in loco planè immortale illud erit. An ne tum quidem ita esse potest? sed ab eo quod ipsum continet, interimitur. Ac si hoc quidè ipsum satis habet causæ, iis quæ dicta sunt ascribatur. Sin minus, ponendum est, subesse re ipsa aliquid contrarium reliquiæque remanere. Itaque minor flamma à maiore casu consumi solet, propterea quòd pabulum, fumum scilicet, quod illa longo tempore, maior flamma citò consumit. Quocirca perpetuo motu agitantur omnia, & oriuntur vel intereunt. Quod autem aliud complexu continet, id vel in agendo adiuvat vel contra nititur. ob eamque causam ea quæ transferuntur, mutantque locum, fiunt aut breuioris aut longioris æui quàm eorum natura ferat: æterna verò nulla sunt quibus data sint cõtraria statim enim materia contrarium habet. Ita fit ut si loci contrarium habeat, loco moueatur, si quantitatis accessione & decessione, si

Cap. 2. qualitatem patibilium, immutatur. Nec verò quo quicque maius est, eo minus interire solet. equo enim breuior vita quàm homini data est: nec contrà parvæ res diutius durant, multæ enim bestiolæ earum quæ incisuras habent, annum tantum viuunt: nec eorum quæ terra ex se fundit, ætas est quàm animalium planè longior: annum enim tantum viuunt quædam eorum quæ oriuntur è terra: nec animantia quæ sanguinem habent, apes enim diuturnitate multa animantia quæ sanguinem habent vincunt: nec ea quæ sanguine carèt, ea enim quæ molli corio obducta sunt, & sanguinem non habent & annum viuunt: nec eæ naturæ quæ in terra versantur, nam & ea quæ ex terra gignuntur & animantia terrena quædam annum viuunt: nec ea quæ in mari: est enim illic breuis vita eorum piscium & qui duro & qui molli corio obducti sunt. Omnino verò longissima vita est eorum, quæ ex terra oriuntur, ut palmæ. deinde eorum animantium quæ sanguinem habent,

bent longior est quàm eorum, quæ carent: & terrenorum quàm aquatiliū. Itaque ea in quibus hæc duo coniuncta reperiuntur ut & sanguinem habeant, & terrena sint, ex animalibus viuunt diutissimè, ut homo & elephas. Atque etiam maiorum ferè quàm minorum longior est vita. Aliis enim etiam quæ diutissimè viuunt magnitudo data est, quemadmodum iis etiam quæ commemorauimus. Causa autem quæ sit horum omnium hinc perspici potest. Intelligendum est enim, viuens humidum & calidum esse natura sua, adeoque in iis vita consistit: senectus autem frigida & sicca, & quod mortuum est, id quod sensibus apparet. Materia autem corporum quæ in rerum natura sunt, hæc sunt, calor, frigus, siccitas & humor. Hinc necesse est ea quæ senescant, exarescere. Itaque humida necesse est eam vim habere, ut non facile exiccantur, ob eamque causam pingua cariem non sentiunt. In causa est aer, qui cum aliis comparatus, ignis vim obtinet, ignis autem cariei incommoda non sentit. Nec rursus parua humoris copia esse debet, propterea quòd facile id etiam quòd exiguum est, exhauriri exiccarique potest. Itaque & animalibus & iis quæ ex terra gignuntur, quæ quidem magnitudine præstanti sint, ferè, iam ut dixi longior vita data est, quippe cum hoc sit consentaneum, ut eis maiorem humoris copiam natura largita sit. Nec verò ob eam solùm causam eorum vita est longissima. Duæ enim causæ sunt, & quantitas & qualitas. Ita non solùm humoris copia esse debet, sed præterea calorem adesse oportet, ut nec concreescere humor, nec exarescere facile possit. Ob eamque causam hominis vita longior est, quàm multorum quæ eum magnitudine superant. Diutius enim viuunt ea, quæ humoris copia vincuntur, si maior in eis qualitatis sit quàm quantitatis in aliis præstantia. Est autem in nonnullis calor pinguis, qui simul facit, ut nec exiccari, nec refrigerari facile possint: in aliis verò alium succum habet adiunctum calor. Præterea id quòd tale futurum est, ut non facile intereat & occidat, excrementis abundare non debet. Quòd enim eiusmodi est, id vel morbo, vel natura animalia interimunt. Vis enim eorum quæ redundant, & cōtraria natura est, & aliqua naturam, alia partem interimunt natura sua. Itaque animantia ea quæ ad concubitum procliuia sunt, magnâq; seminis copia abundat, citò ad senectutem

compelluntur, propterea quòd semen excrementum quoddam est, & præterea cùm emissum est, exiccat. Ob eamque causam muli, quàm equi & asini à quibus generatus est, vita est longior, & foeminarum, quàm marium, si mares proclives sint ad libidinem. Quo fit etiam, vt passeris mares breuiore tēpore viuant, quàm foeminae. Præterea mares omnes qui ad faciendū opus attentiores sunt, labore citius cōpelluntur in senectutem. Labor enim exiccandi vim habet, & siccitas in senectute dominatur. Natura autem in vniuerso propemodum genere maribus longiorem quàm foeminis vitam largita est, idque fit propterea quòd in maribus maior quàm in foeminis calor est copia. Eadem verò animantia quæ in calidis locis versantur, diutius viuunt, quàm ea quæ in frigidis ob eam ipsam causam, ob quam maiorum vita est longior: maximèque insignis est illis in locis magnitudo eorum animantium, quæ frigida sunt natura sua. Itaque & angues & lacertæ & bestia quæ squamuis obductæ sunt, inusitatae sunt magnitudinis iis in locis, quæ calore præstant, & in mari rubro animalia quæ testa tecta sunt. Nam & incrementi, & vitæ causa est calor is qui humoris est particeps. In locis autem quæ nimio frigore obrigesunt, quoniam humor is qui in animantibus inest, nimium aquam imitatur, facile concrescit. Itaque animalia quæ parū aut nihil sanguinis habent, omnino in locis quæ ad Septentrionem pertinent, quædam nō nascuntur, nec quæ ad partem gradiendo accedunt, in terra, nec aquatilia in mari: alia nascuntur quidē, sed minora sunt, eorumque breuior est vita. Tollit tum incrementum concretio: & si alimentum non capiant, tam animalia quàm stirpes intereunt. Se enim ipsa liquefaciunt & conficiunt. Vt enim magna flamma paruam absumit & conficit, eo ipso quòd pabulum consumit, sic naturalis & insitus color, cui primum concoquendi munus datum est, materiam in qua inest, conficit. Aquatilibus autem breuior, quàm terrenis animantibus data est vita, non quòd humida planè sunt, sed quia aquæ humorem imitantur, cuius generis humor facile exhauritur, propterea quòd frigidus est, & concretioni congelationique obnoxius: eaque animantia quæ carent sanguine, ob eandem causam, nisi se magnitudine tueantur. nam nec pinguem & veluti oleosam vim habent, nec dulcedinem. in animantibus enim

pinguis

pinguis oleosáque vis inest dulcedinem præ se ferens. Itaque apes diutius viuunt quàm alia animantia, quæ eas magnitudine corporis vincunt. In iis autem quæ oriuntur è terra reperitur longissima vita, atque longior quàm in animantibus, primùm quòd minus aquam imitantur, ob eamque causam non facile frigore obrigescent, deinde quòd pingue quiddam & viscosum habent, & quòd cum sicca sint, terramque imitentur, tamen humor quem habent non facile exarescit. Diuturnitatis autem quæ in arboribus natura inest, causa intelligi debet. Est enim quædam propria præ animalibus, præter ea quæ incisuris constant. Semper enim renouantur ea quæ terra ex se fundit, ob eamque causam in multa durant tempora. Quippe aliis surculis senescentibus, alij renascuntur. itémque radices, sed non eodem tempore, verùm interdum truncus tantum, & rami perierunt, alij adnascuntur. Cum verò ita affectæ sunt radices, aliæ ex eo quod superest, gignuntur: atque perpetua est hæc, & intereuntis, & renascentis vicissitudo: ex quo diuturnitas in eis sequitur. Videntur autem ea quæ è terra gignuntur, eas bestiolas, iam vt dixi, quæ incisuras habent, imitari. quippe cum diuisa viuant, ex vnóque duo & multa fiant. Sed bestiolæ quæ incisuris constant, viuunt illæ quidem, non tamen diu possunt: propterea quòd instrumenta non habent, nec principium quod in eis inest, ea facere vlllo modo potest. At verò principium quod in stirpibus inest, potest: præsertim cum omni ex parte & radicem, & truncum habere possint. Itaque ab hoc semper cum alterum senescit, alterum nouum erumpit, vt parum absit, quin eorum quæ inserimus, adæquent diuturnitatem. Nam in insitione hæc ipsa contingere quodam modo dici possunt: præsertim cum pars sit quædam surculus. Ac in insitione quidem inter separata hoc vsuuenit: illic autem in continuis & minimè deiunctis, idque fit propterea quòd omnem in partem principium quod vi & facultate inest, diffusum sit. Idem autem & in animalibus, & in stirpibus contingit. Ferè enim mares in animantibus longiore vita fruuntur, eorumque superiores partes ampliores sunt, quàm contrariæ: mas enim nanos magis quàm foemina imitatur. Atqui in partibus superioribus calor inest, & frigus in inferioribus. Stirpiū etiam longior ætas earum est, quibus latiora amplioraque capita:

Cap. 3.

data sunt, quo in genere sunt, non ea quæ annum tantum viuunt, sed quæ arborum genere censentur. In stirpibus enim radix pars est superior, & capitis locum obtinet. Quæ autem annum viuunt tantummodo, ea per inferiores partes, & fructus, & magnitudinis cumulum accipiunt. Sed de his per se ac propriè in libris de iis quæ oriuntur è terra, differetur. hoc autem loco exposita est causa longæ breuisque vitæ animantium. Restat vt nos de iuuentute & senectute, vita & morte dicamus. His enim expositis, ratio & disputatio quæ de animalibus instituitur, terminum habebit.

ARISTOTELIS DE ADOLESCENTIA ET SENECTUTE,
VITA ET MORTE, LIBER.

Cap. I.



DE adolescentia & senectute, de vita & morte hoc loco dicendum est: & simul respirationis necesse erit fortassis causas exponere, præsertim cum ea sit causa cur quædam animalia viuant, atque non viuant. Quoniam autem de animo aliis libris disputauimus, perspicuumque est, fieri non posse, vt eius quidem essentia sit corpus, eius tamen sedem in aliqua parte esse corporis, atque in quadam earum quæ inter partes vim & principatum obtinent. Ac cæteræ quidem animi siue partes, siue facultates, vtrolibet nomine appellari debeant, nunc prætermittendæ sunt. Ex qua autem & animalia appellantur, & viuere dicuntur, in iis quidem quæ vtrumque horum acceperunt, vt & animalia sint, & viuant: eadem sit vnâque pars necesse est, ex qua idem viuat, animalque dicatur. Animal enim qua ex parte animal est, non potest non viuere. Qua autem ex parte viuat, ex ea animal esse non necesse est: quippe cum ea quæ oriuntur è terra viuant illa quidem, sensus autem sint expertia. Sensu autem animal à non animali distinguimus. Numero igitur necesse est vnâ esse eandemque hanc partem, natura autem & ratione duas atque diuersas. Neque enim idem est animal esse, ac viuere. Quoniam autem sensuum qui proprii distinctique sunt, vnus est quidam sensus communis, ad quem sensuum functiones

functiones ac munera reuocari, referriq; necesse est, is profectò inter partē eam quæ antè, & eam quæ ponè est, locabitur. Ea enim prior in nobis dicitur, in qua inest nobis sensus, posterior autem contraria. Præterea cùm ita corpus distinctum sit eorum quidem omnium quæ viuunt, vt alia pars superior sit, alia inferior (omnia enim superiorem inferiorēmq; habent) sit, vt ea etiam quæ ex se fundit terra, in medio harum vim altricem habeant. Qua enim ex parte succus ingreditur & trahitur, eam superiorem vocamus, eius rationē habentes, non vniuersi, quod continet: inferiorem autem eam, qua reliquæ cibi primæ depelluntur. Sed contrà hoc in stirpibus & animalibus cōtingit. Nam hominibus quia erecti excelsiq; sunt, hoc maximè solis ex animalibus dedit natura, vt partem quæ in illis est superior ad superiorem vniuersitatis partem attollant, cum cæteris in medio sit. Ea autem quæ gignuntur è terra, quoniam moueri nō possunt, succūque ex terra trahunt & alliciunt necessariò hanc partem semper humi depressam habent. Eam enim rationem radix habet in stirpibus quam os in animalibus habet: qua quidem parte stirpes ex terra succum trahunt, animalia verò cibum capiunt ipsa per se ac opera sua. Cùmque tres partes sint, in quas omnia animalia, quæ suis omnibus partibus absoluta perfectaque sunt, tribuuntur, vna qua cibum capiunt, altera qua reliquias cibi depellunt, tertia quæ his interiecta est: hæc ipsa in maximis animalibus pectus vocatur, in aliis aliquid est quod eius locum obtinet: quæ eadem in aliis est, quàm in aliis euidentior. Quæ autem in his gradiendo ad pastum accedunt, eis etiam ad hæc obeunda munera partes datæ sunt, quibus omnem molem corporis ferant & sustineant, vt crura, vt pedes, & quæ eandem vim habent. Sed animi qua ex parte alendi vim habet, principium, in trium partium medio situm esse, & sensu & ratione perspicitur. Multa enim animalia vtraque parte detracta & præcisa, capite videlicet, & ea quæ cibū capit, viuunt cum ea parte quam mediam diximus. Quod in iis quæ incisuris constant, vt in vespis & apibus animaduerti licet. Quinetiam multa eorum quæ incisuras non habent, cùm diuisa sunt in partes, propter vim altricem possunt viuere. Pars autem hæc re ipsa vna est, multæ autem esse potest. Eodē enim modo cōstat, quo in stirpibus, quæ & viuunt per se, cùm auulsæ sunt,

& multæ arbores ex vno principio nascuntur. Cur autem eorum
 quæ gignuntur è terra, alia si separentur, vivere non possunt, alia
 autem auulsa inseruntur, alio loco dicendum erit. Sed tamen simi-
 lis est, hac quidem in parte, & stirpium ratio, & eorum animan-
 tium quæ incisuras habent. Atque etiam animus altor in iis qui-
 dem quæ eum habent, necesse est, & vnus sit reipsa, & multo-
 rum vim in se contineat. Quod de principio etiam sentiendi, iu-
 dicandum est eodem modo, quippe cum ea quæ diuisa, auulsaque
 sunt partes, sensum habere videantur. Sed hoc interest, quòd ea quæ
 oriuntur è terra, naturæ suæ conseruationem procurare possunt: ea
 autem animalia quæ incisuras habent, non possunt, propterea quòd
 membra quæ conseruationem sui procurent, non habeant: eorum-
 que nonnullis pars ea desit, quæ reliquias cibi depellat, aliis ea quæ
 cibum excipiat, quædam verò & alias & vtramque harum desi-
 derant. Hæc enim animalia multis animantibus quæ inter se co-
 hærent, similia sunt. Quæ autem animalia optimè à natura effe-
 cta sunt, eis hoc minimè vsuuenit: propterea quòd eorum natura
 quàm maximè fieri potuit, vna & simplex est. Itaque exiguam
 sensus functionem reddunt eorum quædam partes, cum auulsa
 sunt, quòd affectionem quandam animi propriam obtinent. Nam
 cum illa separata sunt, quædam mouentur, quemadmodum etiam
 testudines, cum eis cor detractum est. Hoc etiam & in stirpibus,
 & in animantibus perspici licet, si quis in iis quæ oriuntur è ter-
 ra, è semine ortum, insitionesque eorum, & auulsiones consideret.
 Ex semine enim ortus omnibus à medio proficiscitur. nam cum
 duas partes quasi geminas valuas intus habeant omnia semina,
 tum sanè qua coniunguntur mediū vtriusque partis habent quip-
 piam. Hinc enim & truncus, & radix prodit eorum quæ gignun-
 tur è terra. Quod autem medium eorum est, id principium est. Id-
 que in insitionibus, & in auulsionibus, ad nodos & gemmas con-
 tingit maximè. Est enim principium quoddam rami ac surculi no-
 dus & medium. Itaque aut hoc præcidunt, & amputant: aut in
 hoc aliquid ingerunt, vt vel ramus ex eo, vel radix oriatur, quasi
 principium trunci, & radicis ex medio erumpat. In animantibus
 etiam quæ sanguinem habent, cor primum gignitur. Quod perspi-
 cuum est ex iis, quæ spectauimus in iis quæ cum adhuc fierent,
 vidisse

vidisse nobis contigit. Itaque in iis etiam quæ sanguine carent, aliquid primum nascatur necesse est, quod cordis locum obtineat. Cor autem venarum esse fontem, ac principium in libris de partibus animantium antè dictum est, & sanguinem in animantibus iis quæ sanguine prædita sunt, extremum alimentum esse ex quo partes conficiantur. Perspicuum est igitur, vim oris unum quoddam munus & officium exequi, stomachum in coquendo cibo alterum. Cor verò quod principatum obtinet, finem etiam imponit, totumque munus absoluit. Ita necesse est, & eius animi qui sensus est, & eius qui alendi vim habet, principium & fontem esse in corde in iis animantibus, quæ sanguinem habent. Aliarum enim partium officia quæ in cibo versantur, ad huius munus, & opus omnia referuntur. Quod enim principatum tenet, debet ad id cuius causa comparata sunt alia, pertinere, non ad ea quæ huius causa facta sunt, ut medicus ad valetudinem. Verum enim verò sensuum principatus in corde est omnibus animantibus, quæ sanguinem habent. In eo enim sit necesse est communis sedes omnium sensuum. Cum enim duos eò perspicue pertinentes cernamus, gustatum atque tactum, eodem etiam ceteri pertineant, necesse est. In hac enim parte motus ceterorum sensuum oriri potest, hi nihil ad superiorem locum pertinent. Præterea si vita omnibus in hac parte sita est, profecto principium fonsque sensus in ea etiam sit necesse est. Quo enim animal aliquid est, hoc etiam illud vivere dicimus. Qua autem ex parte sensus est particeps, hac corpus animas esse dicimus. Causa autem quæ sit, cur alij sensus planè ac perspicue ad cor pertineant, alij autem in capite sedem habeant, ob eamque causam quibusdam animantia sentire cerebro videntur, separatim alio loco diximus. Ex iis autem quæ dicta sunt, perspicuum est experientia quidem & animaduersione consistere, in hac parte, & in medio corpore trium partium animi, & eius qui sensus est, & eius qui augendi, & eius qui alendi vim habet, principium consistere: ratione autem, quòd naturam in omnibus quoad eius fieri potest, optimum quicque facere cernimus. In medio autem utriusque nature si locatum est principium, maxime quidem utraq; pars suum munus exequetur, & ea quæ extremum cibum conficit, & ea quæ eum excipit. Illo enim modo iuxta utramque erit. Et est sanè medius hic locus, ut

imperātis locus: & præterea inter id quod utitur, & inter id quod illud utitur, interesse oportet: & quæadmodum vis alia, sic si fieri potest, modus alius esse debet, velut tibiæ, & quæ tibiæ mouet, manus. Quod si animal ex eo definitum est, quod sentiendi principium habet, in eorum quidem animantium quæ sanguinem habent corde, hoc principium sit necesse est, in iis autem quæ eo carent, in ea parte quæ cordis locum obtinet. Omnes autem partes omnique corpus animantium, calorem quendam cognatum & naturalem habet. Itaque dum viuunt, calida sunt, cum moriuntur & priuata sunt vita, contra frigida. Necesse est igitur huius caloris in corde esse principium in iis quidem animantibus, quæ sanguinem habent, in iis autem quæ non habent, in alia eiusdem generis. Calore enim insito naturalique cibum conficiunt & coquunt omnia: in quo maxime cor, aut quod eius locum obtinet, plurimum potest. Itaque reliquis refrigeratis partibus vita remanet, eo autem calore consumpto, qui in corde est, plane tollitur, propterea quod caloris principium hinc pendet omnibus, & animi qui quasi ardore quodam coercetur in his partibus, ita tamen ut ea animantia quæ sanguine prædita sunt in corde, ea autem quæ carent, in ea quæ eiusdem rationis est, eum habeant. Necesse est ergo simul & vitam suppetere, & caloris huius conseruationem, mortemque esse eius interitum & dissolutionem. Sed ignis duplicem interitum cernimus, consumptionem vel marcorem & restinctionem, quorum eum quidem qui per se ac vi sua igni accidit consumptionem, siue marcorem vocamus, eum autem qui à contrario, restinctionem: illumque senectutis, hunc violentum dicimus. Quanquam interdum uterque interitus per se accidit. Cum enimustus deficit, quoniam calor materiam qua alatur, assumere non potest, ignis interitus sequitur, propterea quod contrarium quod concoctionem cohibet, impedimento est quo minus alatur. Cum autem accidit ut ignis tabescat, id fit propterea quod magna caloris copia congesta, nec respirare animal, nec refrigerari potest. Citò enim etiam hoc modo pabulum suum conficit calor, cum magna copia congestus est, suoque aduentu ante occupat conficiendo, quam spiritus duci possit. Itaque non solum tabescit paruus ignis à maiore, verumetiam lucernæ flamma ipsa per se maiori flammæ infusa consumitur, quemadmodum quiduis aliud, quod

quod exuri potest, idque propterea fit, quòd fomentum quod est in minore flamma, maior occupat, antè quàm aliud adhibitũ sit. Ignis autem generatur semper, atque instar fluminis fluit, sed obtutum oculorum effugit propter celeritatem. Perspicuum est igitur, si (id quod necesse est, dũ modò vitæ aliquid loci relinquatur) calor cõseruari oporteat, caloris qui in principio sit, quandã refrigerationem adesse oportere. Cuius quidem rei exemplum sumi licet ab eo quod prunis quæ suffocantur, accidit: quæ si cõtinenter operiantur, eo instrumento quod suffocatorium vocatur, citò restinguuntur. Si quis autem crebrò detrahat, & novos ingerat, diu accensæ manent. Ignis autem cùm cinere adhibito absconditur, cõseruatur. Nam nec propter cineris raritatem expirare prohibetur, resistit autem circumfuso aëri, vt ne extinguatur per eum calorem qui in eo magnus est. Sed contraria huiusmodi effecta accidant igni & cùm absconditur & cùm suffocatur (hic enim tabescit, ille autem ad multũ tempus durat) in problematibus etiam dictum est. Quoniam in omni animante animus inest, nec idem sine caloris natura constare, quæ admodum dixi, vllò modo potest, iis quidem quæ oriuntur è terra, præsidium alimenti & illius quod continet, satis magnam vim affert ad caloris naturalis cõseruationem. Succus enim qui intromittitur, refrigerat, quemadmodum homines etiam cùm primũ alimentum inferunt, refrigerantur. Inediæ autem calorem afferunt & sitim pariunt, propterea quòd aër & spiritus qui non coagitur, semper calefcit: idẽmque coagitatus refrigeratur, cùm cibus influit, quoad cibum concoxerit. Si verò aut circumfusus aër propter temporis rationem, frigore nimio sæuiat, tum vehementibus ortis congelationibus, exiccantur: aut æstate vehementes æstus incidunt, & non potest humor qui è terra elicitur, refrigerare, calor tabescit & consumitur, & arbores illis temporibus vitium sentire qui spaciolismus dicitur, & syderari dicuntur. Itaque genera quædam lapidum radicibus subiiciunt, & aquam in vasis infundunt, vt stirpium radices refrigerentur. Animalia autem quoniã alia in aqua, alia in aëre viuunt, ex his etiam aliis ex aqua, aliis ex aëre refrigerandi præsidium suppetit. Quod quemadmodum fiat, deinceps dicendum erit.

ARISTOTELIS DE RESPI-
RATIONE LIBER.

Cap. I.



*D*E respiratione perpauci quidam eorum qui antea in naturæ scientia versati sunt, differuerunt, quorum tamen nonnulli cuius rei gratia animantibus data sit, nihil omnino dixerunt, alij exposuerunt illi quidē, sed non rectē, verū minus ex eorū quæ eueniūt, v-
su & obseruatione, & præterea animantia omnia respirare dicūt, quod cū falsum sit, primū de his necesse est explicare, vt ne frustra absentes accusare videamur. Illud quidem perspicuū est, animalia omnia quæ pulmonem habent respirare. Sed tamen omnia huius generis quæ pulmonem exanguem fungosūque habent, minus respirationē requirunt. Itaque diu pro vi ac robore corporis permanere possunt. Habent autem pulmonē fungosum ea omnia, quæ oua pariunt, vt ranarum genus: præterea mures fluuiatiles atque testudines diu in aquis versantur, propterea quod eorum pulmo quia parum sanguinis habet, exiguo calore præditus est, qui cū inflatur, agitatione ipsa refrigerat, facitque vt ad diuturnum tempus durent. Quod si quis ea diu admodum vi in aqua teneat, omnia suffocantur, quod aquam non recipiant, vt pisces faciunt. Quæ autem sanguine refertum pulmonem habent, ea propter caloris copiam respirationis indigent. Aliorum verò quæ pulmone carent, nullum respirat. Ac Democritus quidem Abderites, aliique nonnulli qui de respiratione differuerunt, nihil de aliis animantibus explicauerunt, etsi ita dicere videntur quasi omnia respirent. Anaxagoras autem & Diogenes, cū omnia respirare tradunt, de piscibus & ostreis quemadmodum respirent, exponunt. dicitque Anaxagoras pisces respirare, cū aquam branchiis expellunt, ductu spiritus quem in ore habeant: nihil enim esse inane. Diogenes autem eosdem tradidit cū branchiis aquam impellunt, ex aqua quæ ora eorum, circumfundit, trahere aëra eo inani quod in eorum ore inest: quasi sit in aqua aër. quæ fieri non possunt. Primū enim alteram rei partem detrahunt, propterea quod

quòd id quod commune est, in altero solo dicatur. Respirationis enim vocatur, cuius una pars exspiratio est, altera inspiratio: de illa verò nihil tradunt, quemadmodum eius generis animantia spiritum edant, nec verò explicare possunt. Cum enim respirant, hoc ipso quòd respirarunt, rursus animam efflare debent, idque semper alternatim facere. Ita fit ut simul & aquam ore accipiant, & animam efflent. Atqui necesse est cum incidunt & concurrunt, alterum alteri impedimentum afferre. Deinde cum aquam impellunt, tum vel ore, vel branchiis spiritum edunt. Ita fit, ut pariter & edant spiritum, & respirent. Hoc enim ipsum respirare appellant. At fieri non potest, ut simul spiritus edatur, atque ducatur. Ita si necesse est ea quæ respirant, & edere spiritum & ducere, edere autem spiritum nihil eorum potest, profectò nulla etiam eorum respirare possunt. Præterea illud quod aiunt, pisces spiritum ex ore ducere, & ore ex aqua, fieri non potest. Nam cum arteriam non habeant, quòd pulmo eis datus non sit, sed statim ori ventriculus adhareat, certè necessario eum ventriculo ducerent. hoc autè alia quoque animantia facerent, nunc non faciunt. Idemque illa cum extra aquam sunt, perspicue facerent: & tamen id non videntur facere. Præterea cum omnia respirant, spiritumque ducunt, eius partis quæ ducit, motum quædam atque pulsus existere cernimus: quod in piscibus non animadvertimus, nihil enim eorum quæ ventri annexa sunt, agitare videntur, sed branchias tantum, tam in aqua, quam in terra, cum palpitant. Præterea cum in aqua omnia quæ respirant, suffocantur, bullæ existunt, quòd per vim spiritus exeat: ut si quis testudines, vel ranas, vel aliquid eiusdem generis vi in aqua retineat. In piscibus autem non fit, etiamsi omni ratione id conemur facere, quasi spiritum nullum extrinsecus ducant. Quo autem modo eos respirare dicunt, is etiam hominibus in aqua potest contingere. Si enim etiam pisces spiritum ex circumfusa aqua in os ducunt, quid est quamobrem non etiam homines faciant, ceteraque animantia? eumque qui ex ore trahatur eodem modo quo pisces, ducant? Ita si illa fieri possent, hæc etiam possent. Quoniam autem non possunt, perspicuum est ne in illis quidem hoc posse contingere. Iam verò cur in aëre moriuntur, palpitareque videntur

quemadmodum ea quæ suffocantur, si respirant? Hoc enim quidem certè eis alimenti penuria non euenit. Quam enim causam Diogenes affert, ea stulta est. Ait enim eos cum in aëre sunt, magnam vim spiritus ducere. Cum autem sunt in aqua, paruum, ob eamque causam enecari. Etenim necesse esset id vsuuenire iis animantibus, quæ gradiendo ad partem accedunt. Nunc autem nullum eorum quæ gradiuntur, quòd vehementer respiret, suffocantur. Præterea si omnia respirant, perspicuum est etiam ea animantia quæ incisuras habent, respirare. At multa eorum diuisa, non solum in duas partes, sed etiã in plures videntur viuere, quo in genere sunt scolopendra: quæ quidẽ quã aut quo respirare possunt? Cur autem de his non rectè disseratur, causa est, partim ignoratio quæ in eis est interiorum partium, partim quòd non accipiant alicuius rei gratia, omnia naturam facere. Si enim quam ob causam animantibus respiratio data sit exquisiuisent, idque in partibus, vt in branchiis, & pulmone spectassent, facilius causam inuenissent. Democritus autem aliquid animantibus ex respiratione euenire tradit, cum eam ait impedire quo minus animus à corpore discedat & expellatur, non tamen huius rei causa hoc naturam fecisse exponit. Omnino enim vt alij Physici, ita hic, nulla ex parte hanc causam attingit, sed animum & calorem qui est idem quod animus primas illas rotundas figuras esse dicit. Itaque dum eius quod continet vi protrusæ coguntur vt iam exire occipiant, respirationem adiumentum dicit afferre. In aëre enim magnum numerum esse eorum, quæ ille mentem animumque nominat. Quocirca dum animal spiritum ducit, animaque agitur, hæc simul ingredi ait, cohibereque compressionem, atque impedire, quo minus animus qui in animantibus inest, transeat, atque discedat, ob eamque causam in respirando & expirando vitam mortemque consistere. Cum enim id quod continet comprimendo superius est, nec iam id quod foris influit, prohibere potest, quòd animal spiritum ducere non possit, tum mortem animantia opprimere. Esse enim mortem eiusmodi figurarum discessum à corpore, quem eius quod continet & astringit, vis procurat. Causam autem cur omnibus quidẽ mors proposita sit, non tamen temerè quouis tempore, sed lege præscriptoque

scriptoque naturæ, per senectutem, vi autem, contra naturam, non exposuit. Atqui eum oportuit exponere, cum aliàs hoc fieri videatur, aliàs non videatur, utrum ipsa causa extrinsecus an intrinsecus petenda sit. Nec verò quæ sit respirationis principium explicat, sitne eius externa causa, an insita & interior. Neque enim mens quæ extra est, præsidium conseruat, sed respirationis motusque principium interius est, quasi nullam id quod continet vim adferat. Illud etiam absurdum est, simul & id cum ambit, comprimere, & cum ingressum est, dirimere ac secernere. Atq; hæc ferè sunt, quæ & quomodo ille dixit. Quòd si vera esse, quæ supra Cap. 2. diximus, existimanda sunt, nec animantia omnia respirare, hoc intelligendum est, non ad omnem mortem hanc causam esse accommodandam, sed eam in iis modò animantibus valere, quæ ducant spiritum. Quanquam ne in his quidè rectè intelligi potest. idque ex iis perspici licet, quæ eueniunt, quæque omnes diuturna obseruatione notauimus. In maximis enim caloribus, quo magis calescimus, eo & respirationem magis requirimus omnes, & crebrius spiritum ducimus. Cum autem aër qui nos ambit, frigidus est, corpusque contrahit, tum cohibemus ac retinemus spiritum. Atqui tum aëra externum aduentu suo in corpus, contractionem arcere oportebat, quod non contrà fit. Cum enim magna vis caloris congesta est, nec animantia spiritum edunt, tum respirationem desyderant. necesse est verò spiritum ducendo respirare. Qui autem in magno æstu & calore sunt, sæpe respirant, quasi refrigerandi causa respirent: tumque id quod dici solet, Ignem igni addunt. Quæ autem in Timæo scripta est in orbem acta impulsio, nihil de cæteris animantibus statuit, quemadmodum in eis calor conseruetur, utrum eodem, an ab aliqua alia causa. Si enim iis solis animantibus quæ gradiuntur, respiratio concessa est, eius quod ait solis, afferenda fuit causa. Sin aliis quoque data est, sed alius est modus, de eo explicandum fuit, siquidem omnia respirare possint. Præterea modus causæ commentitijs est. Cum enim per os calor foras excurrit, circumfusum aëra pulsu agitari, eundemque in locum illabi dicit per carnes quæ raræ sint, vnde calor insitus exierit, quòd nihil sit inane, ita sibi vicissim per quæ-

F. iij.

dam antiperistasin succedentibus corporibus. Concalescente Verò rursus per eundem locum foras excurrere: tùmq; eum qui extramittitur in corpus vicissim per os aëra calidum qui expulsus fuerat impellere, idque semper respiratione ac expiratione facere animantia. Ii autem qui in ea sunt sententia, coguntur primùm expirationem prius quàm inspirationem fieri concedere. Quod hinc sciri potest, quia hæc mutua quadam vicissitudine inter se consequuntur. At morientes edunt spiritum. Ita necesse est principium esse inspirationem. Præterea cur animantibus respiratione & expiratione data sit, non exposuerunt, qui hoc defendunt, sed vt de re fortuita aliqua solum de eis mentem suã explicauerunt. Atqui hæc ipsa in vita & morte dominari videmus. Cùm enim ea quæ respirant, spiritum ducere nequeunt, tum eorum interitus consequitur. Iam verò hoc absurdum est, nos caloris per os exitum rursusq; ingressum non ignorare, aëris autem in pectus introitum, & rursus cùm calet discessum ignorare. Illud etiam absurdum est, caloris introitum respirationem esse. Contrà enim videtur, id quod efflatur calidum esse, id autem quod ducitur, frigidum. Cùm autem calidum est anhelantes respiramus. Quoniam enim non satis id quod influit refrigerat, sæpe spiritum ducere solemus. Nec verò alimenti causa respirationem animantibus datam esse existimare debemus, quasi insitus calor spiritu alatur atq; augeatur: & cùm animal respirat, tanquã igni materia adhibeatur, amplificatòque igne atq; foto, existat expiratione. Eodem enim modo hanc sententiam qua superiores, refellemus. Hoc enim cæteris animantibus vsuuenire oporteret, aut aliquid quod ei responderet. Habent enim calorem vitalem omnia. Præterea illud quoque commentitium est, quomodo calor ex spiritu dicendus sit oriri. Ex alimento enim eum potius existere cernimus. Hoc autem etiam sequitur & efficitur, hoc ipso & cibum capi, & eius reliquias depelli. id quod in aliis fieri non animaduertimus. Dissertit etiam Empedocles de respiratione, non tamen quam ob causam data sit explicat, nec planum facit, vtrũ animantia omnia respirarent, necne. Cùmq; de ea respiratione quæ per nares fit disputat, de ea etiam respiratione quæ hoc nomine propriè appellatur, se putat dicere. Est enim & ea respiratione quæ per arteriam ex pectore procuratur,

Cap. 3.

curatur, & ea quæ naribus. Animalia enim sine illa respiratione, naribus respirare non possunt, quæ si ea quæ naribus perficitur priuentur, nihil mali sentiunt: sin ea quæ per arteriam, extinguuntur. Natura enim quibusdam animantibus respirationem quæ naribus fit, ad odoratum quasi obiter attribuit. Itaque odoratu animalia ferè omnia prædita sunt, cum non in omnibus huius sensus idem sit locus & sedes. Sed de his alio loco planius dictum est. Ait autem animam duci & reddi, quod sint venæ quædam quæ sanguinem habeant, non tamen eo plene sint, habeant autem vias ad aëra externum pertinentes, quæ & corporis partibus angustiores sint, & aëris ampliores. Quocirca sanguis qui & ad superiores partes, & ad inferiores ferri ac delabi solet, si ad inferiores delabatur, influere animam, & duci, sin supera capestat, eandem foras excurrere, & efflari. Ita hoc ipsum ei quod in clesydri cōtingit, comparat,

- „ Omnia sic ducuntq; animam redduntque vicissim,
 „ Ex parte exangues per corporis vltima venæ
 „ Se fundunt, cunctæ crebròque feruntur hiatu
 „ Ad nares, sed ita, vt cruor occultetur, & auræ
 „ Accessus pateat facilis, facilisque recursus.
 „ Hinc postquam mollis redit ad præcordia sanguis,
 „ Spiritus inflammans delabatur agmine longo.
 „ Ast vbi summa petit cruor, hic tum redditur: Vt cum
 „ Virgo domi ludens clesydram carpit ahenam,
 „ Ora solet primùm formosa occludere dextra,
 „ Hinc in aquæ fundum vas illud mergere mollis,
 „ Nec dum in vas accessus aquæ datur, arcet at illam
 „ Aëris infusi per crebra foramina moles,
 „ Dum pressam illa viam detexerit: ocyus at tunc
 „ Aëre depulso mollis sese ingerit humor.
 „ Sed cum lymphæ quidem vasis partes tenet imas,
 „ Virginis atque manus studiose comprimit ora:
 „ Spiritus obsistens illa vndam sede coercet,
 „ Circum Isthmi portas streperi supra tenendo.
 „ Dum trahat illa manum: tum contra quam prius, aër

- „ Irrumpens mollem sibi aquam, concedere cogit.
 „ Haud aliter tener ille cruor per membra recurrens,
 „ Dum fusus celeri rursus petit intima cursu,
 „ Longo alter statim delabatur agmine fluxus:
 „ Ast ubi summa petit cruor, hic tum efflatur abunde.

Atque hæc illius de ducendi spiritus ratione sententia est. Ducunt autem spiritum, iam ut dixi, ea quæ planè respirant, per arteriam, & per os simul, & per nares. Itaque si de hoc respirandi genere differat, necesse erit quærere, quo tandem pacto rationem quam inuenerit, ad causam accommodare possit. Contrà enim vsu venire videtur. Homines enim, quoniam elato loco & sede respirandi, quemadmodum folles tolli solent in officinis ærarijs, respirant, eos calorem tollere consentaneum erat, & sanguinem locum caloris obtinere. Astringentes autem & suffocantes, ut illic folles animam efflant, nisi quòd illi non per eundem locum aëra hauriunt, & reddunt, hi autem per eundem. Quòd si de eo solum respirandi genere quod per nares fit, differat, vehementer errauit. Neque enim respirandi vsus narium proprius est, sed per eas angustias quæ faucibus adhærent, qua parte palato os terminatur, perforatis naribus spiritus partim per hunc locum, partim per os egrediendi pariter, & ingrediendi vicissitudine quadam delabitur. Ac ea quidem quæ ab alijs de respirandi ratione dicta sunt, talia ac tanta incommoda continent. Quoniam autem antè dictum est, vitam & animum cum calore quodam coniuncta esse, (neque enim concoctio, qua animantes aluntur, sine animo & calore constare perficique vllò modo potest, quippe cum igne omnia conficiant) in quo sanè primo corporis loco, & in qua prima primi loci parte principium tale necessariò statuendum & collocandum est, in ea etiam animi quo omnia vigent & aluntur, qui idem primus est, locus ac sedes sit necesse est: qualis est is qui inter eam partem per quam cibus accipitur & eam qua cibi reliquæ depelluntur, interiectus est. Ac in ijs quidem animantibus quæ sanguinem non habent, nomine vacat: in ijs autem quæ habent, hæc pars cor dicitur. Succus enim is ex quo primò partes animantibus nascuntur, natura est sanguinis.

Cap. 4.

nis.

nis. Sanguinis autem & Venarū idem principium sit necesse est, præsertim cū alterius causa alterum comparatum sit quasi vas quoddam & receptaculum. Venarum porrò iis quæ sanguinem habent, cor principium datum est: quandoquidem non per illud, sed ex eo omnes pendent, quod quidem nobis apertis corporibus constitit. Ac cæteræ quidem animi partes & facultates sine ea qua alimur, esse nullo modo possunt: quod cur fiat, antea in lib. de Animo diximus. Hæc autem ipsa sine insito innatòque calore, & igne non potest extare, præsertim cū eam natura in hoc quasi accenderit & excitauerit. Ignis autem interitus, quemadmodum supra dictum est, duplex est restinctio, & consumptio, quorum restinctio à contrariis proficiscitur. Itaque ignis tum vniuersus ac confertim coaceruatus, tum celerius, etiam diuulsus à frigore ambientis corporis restinguitur. Atq; hic quidem violentus interitus æquè in res inanimas & in animatas cadit. Animata enim cū & instrumētis secantur, & nimio frigore obrigescunt, atq; cōcrescunt, interire solent. Consumptio autē aut marcor, nimia quadam caloris copia euenit. Etenim si circumfusus calor modum transeat, nec alimentum capiat, tum id quod calidū est, non algore, sed langore quodam consumi & confici solet. Ex quo fit, vt refrigerari debeat, si saluum & incolume sit futurum. Hoc enim huiusmodi interitui adiumentum affert. Quoniam autem animantes aliæ aquatiles sunt, aliæ terrenæ: iis quidem quæ & admodum minutæ sunt, & sanguine carent, refrigeratio ea quæ ex circumfusa aqua aut aëre existit, satis magnum adiumentum affert ad hunc vitandū interitum. Cū enim parum in eis sit caloris, exiguum etiam præsidium desiderant. Itaque his ferè breuis vsura vitæ data est, propterea quòd in vtramque partem parui momenti sint. Quæ autem ex insectorum genere (insecta enim nulla sanguinem habent) diutius viuunt: in his enim sub septo transuerso corpus dissectum est, vt per membranam subtilem refrigeretur. In quibus enim maior caloris vis & copia inest, vt in apibus, ea maiorem quandam refrigerationem requirunt. Quædam enim apes septimum annum complēt. Eadem est aliarum bestiolarum ratio, earum quæ stridore reddunt, quo in genere sunt vespæ, scarabæi, & cicadæ. Spiritu enim

resonant, quasi aspirando, præsertim cum in ipso septo transuerso spiritui innato dilatanti se, & contrahenti accidat, ut membranam pellat. Agitant enim locum hunc, non secus ac animantia que spiritum foris ducunt pulmone, & pisces branchiis. Similiter enim fit, ut si quis ore compresso aliqua animantia eorum que respirant, suffocet. Nam tum à pulmone huiusmodi fiet dilatatio. Sed hæc quidem non satis hoc tali motu refrigerantur, illa autem satis. Atque etiam cōflictu & ictu membranæ stridorem reddunt, quæ admodum diximus, ut pueri solent, cum perforatis arundinibus membranas tenues adiiciunt. Ob eam enim causam & cicadæ canoræ canunt, caloris enim in eis maior quædam vis inest, & ea pars in eis sub septo transuerso secta est, quæ eadem individua in iis est, quæ mutæ sunt. Atque etiam eorum que sanguinē habent, & pulmonem quidem, sed in quo parum sanguinis insit, atq; eum fungosum: quædam diu sine spiritu viuere possunt, quod eorum pulmo in quo parum sanguinis & humoris inest, se magnopere relaxet. Pulmonis enim sua ac propria coagitatio, ad multum tempus refrigerare potest: tandem tamen non possunt viuere, sed ea que spiritum non duxerunt, quemadmodum iam antè dixi, suffocantur. Languoris enim & marcoris interitus, qui refrigerationis priuatione euenit, suffocatio dicitur, & qui hoc modo intereunt, suffocari dicimus. Quod autem supra dictum est, animantia ea que insecta dicuntur, non respirare, id in bestiolis, ut in muscis & apibus animaduerti potest: quæ in summa aqua ad multum tempus natant, nisi sit præter modum frigida aut calida, etiam si ea que imbecilla sunt, crebrius spiritum velint ducere. Sed conficiuntur hæc, suffocari que dicuntur tum denique, cum venter completur, isque humor qui in septo transuerso inest, consumitur. Itaque si diu in cinere foveantur, reuiuiscunt. Ac eorum que in aqua degunt, omnia que sanguine carent, diutius in aëre viuunt, quam ea que sanguinem habent, & mare accipiunt, ut pisces. Quia enim paruo calore prædita sunt, ea diu aër refrigerare potest, quo in genere ea sunt que molli testa obducta sunt, & polypi, non tamen satis in iis præsidij est ad propagandam eorum vitam, propterea quod parum caloris habent. Quinetiam multi pisces in terra viuunt, sed immobiles

biles, de fossis que reperiuntur. Quibus enim pulmonem natura dedit, atque eum expertem sanguinis, ea minus refrigerationem requirunt. Illud ergo iam confectum est, eorum animantium, quæ sanguinis expertia sint, aliis circumfusum aëra, quibusdam aquam, & humorem adiumentum ad vitam afferre. Quæ autem sanguinem habent & cor, eorum quibus pulmo datus est, omnia aëra hauriunt, ex eoque refrigerantur, quòd ducant, reddantque spiritum. Pulmo autem datus est iis etiam quæ intra se, & non extra solum viua pariunt. (nam ea quæ cartilaginea appellantur, viua illa quidem pariunt, sed non in utero) & eorum quæ ova pariunt: tum iis quæ pennarum pernitate vtuntur, vt aues: tum iis quæ squamis obducta sunt vt testudines, vt lacertæ, vt angues. Ac illa quidem pulmonem sanguine præditum, hæc autem maxima ex parte fungosum habent. Itaque id quod iam dictum est, rarius respirant. Respirant etiam ea omnia, quæ in aquis versantur & viuunt, vt hydrorum genus, mures fluuiatiles, ranæ, crocodili, testudinésque marinæ, & terrenæ, & vituli marini. Hæc enim omnia aliâque eiusdem generis, & in loco sicco pariunt, & vel in terra, vel in aqua dormiunt, extante eminentéque rostro respirandi gratia. Quibus autem branchiæ datæ sunt, ea omnia aquæ haustu & infusione refrigerantur. Branchiæ porro datæ sunt omnibus, & quæ cartilaginea dicuntur, & quæ pedibus carent. Pedibus autem pisces omnes carent. Etenim quæ habent branchias, pennarum specie habent. Eorum verò quibus pedes dati sunt, quæ quidem cognita sint, vnus is qui Cordulus vocatur, branchias habet. Quod autem & pulmonem, & branchias haberet, nihil dum visum est. Idque factum est, propterea quòd pulmo refrigerationis quæ spiritu affertur, & procuratur, gratia comparatus est, (hinc πνεύμων, id est pulmo, nomen ex πνεύμας, id est spiritus receptaculo, habuisse videtur) brāchiæ verò propter eam refrigerationem quæ ab aqua proficiscitur. Atqui instrumentum vnum vni muneri vsui est, & vna refrigeratio satis est omnibus. Quapropter cum naturam nihil frustra, & sine causa facere videamus, & cum duo sint, alterū frustra & superuacaneum esset, fit, vt aliis branchiæ datæ sint, aliis pulmo, vtrūque nulli. Quo-

niam autem status sui causa alimentum, & conseruationis refrigerationem animantia omnia requirunt, eodem instrumento ad utrūq; horum natura utitur: & quemadmodum nonnullis lingua usum ac munus largita est, & ad saporum distinctionem, & ad sensa animi exprimenda, sic iis animantibus quæ pulmonem habent, os & ad cibum conficiendum, & ad reddendam ducēdamq; animam dedit. iis verò quibus pulmo datus non est, nec respirandi usus, rostrum quidem ad cibi confectiōē, refrigerationis verò causa, & ut capere cibum liceret, iis quæ refrigerationis indigerent, branchias dedit. Quo quidem modo vis eorum instrumentorum quæ dicta sunt, refrigeret, post differemus. Ne autem cibum impediatur, idem iis quæ respirant, & iis quæ humorem recipiunt, vsuevenit. Neque enim cum spiritum reddunt simul cibum capiunt. Alioqui animantia suffocari solent, cum per arteriam in pulmonem cibus, vel humidus, vel aridus delabitur. Arteria enim supra sita est, quam gula per quam cibus delabitur in ventriculum. Atq; in quadrupedibus quidem, & in iis quæ sanguinem habent, arteria tegitur epiglottide quasi quodam operculo. avibus autem & quadrupedibus iis quæ ova pariunt, data non est, sed contractione idē efficiunt. Cum enim cibum capiunt omnia, partim contrahunt, partim epiglottide adiecta tegunt. Cum verò cibus delapsus est, tū hæc lingulam attollunt, illa guttur dilatant, spiritumque refrigerandi causa excipiunt. Quibus autem branchiæ datæ sunt, ea per branchias impulsæ aqua, ore escā arripiunt. Neque enim habet arteriam. Itaq; hac quidem parte nihil eis aqua si incidat, nocere & obesse potest, sed cum aqua in ventriculum illabitur. Itaq; citò & accipiunt cibū & depellunt, dentesque eis acuti, serratique omnibus ferè dati sunt, neque enim in cibo commanducando, ac veluti permolendo commorari queunt. Sed de iis quæ cete dicuntur, questio est. Quanquam hæc etiam iusta quadam ratione ita se habet, veluti delphini, balenæ, ceterique pisces, qui fistulā habent. Hi enim omnes etsi pedibus carent, tamen pulmonem habent, in marique versantur. Idque fit ob eam causam quæ modò allata est. Neque enim refrigerandi causa aquā excipiunt. hoc enim eis spiritum ducentibus accidit, pulmonē enim habent. Itaque rostro extra

aquam

Cap. 5.

aquam extante, dormiunt, stertuntque delphini: quòd si retibus capi-
 antur, citò suffocantur, propterea quòd spiritum ducere non pos-
 sint: omniáq; eiusdè generis in maris summa aqua fluitare propter
 respirationem videntur. Sed quoniam necessariò in aqua escam &
 alimentum capiunt, necesse est humorem, cum cibum capiunt, depel-
 lant, ob eamque causam fistula eis omnibus data est. Cum enim a-
 quam exceperunt, eam vt pisces branchiis, sic fistula euomere &
 dissipare solent. Quod etiam ex fistula situ perspici potest: in nulla
 enim parte earum in quibus sanguis inest, terminatur, sed antè ce-
 rebrum sita est, aquamque emittit. Ob eandemque causam aquam
 & quæ molli corio, & quæ molli testa obducta sunt, veluti locu-
 ste, & cancri hauriunt. Nullum enim eorù refrigerationem deside-
 rat. (cum enim & exiguus calor, & sanguis nullus in quoque horù
 sit, fit, vt satis à circumfusa aqua refrigerentur) sed propter cibum,
 vt ne cum cibum capiunt, simul aqua illabatur & influat. Ac ij
 quidem pisces, qui molli testa tecti sunt, vt cancri, & locustæ, per
 partes hirsutas operculo quodam deposito, aquam effundunt. Sepiæ
 autè & polypi per aluum, quæ supra eam partem sita est, quæ ca-
 put dicitur. Sed de his accuratius in libris de Historia animantium
 scripsimus. Ac bestias quidè quæ in aquis natura duce versantur,
 aquam recipere solere diximus, & refrigerationis causa, & quòd ex
 aqua eas pastus capere oporteat. Refrigeratio autè quonam pacto e- Cap. 6.
 ueniat, & iis quæ respirant, & iis quibus brachia data sunt, dein-
 cept dicendù est. Ac illud quidè iam antè dictù est, ea omnia ani-
 mantia, quibus pulmo datus sit respirare. Cur autè nonnullis datus
 sit & quãobrem ea quibus datus est, refrigerationem requirant, si
 queratur: causa quidem cur datus sit, calor est, quem maiorem ha-
 bent animantia, quo quodq; præstantius est. Sic enim fit simul, vt a-
 nimum etiã præstantiorem nacta sint. Præstât enim hæc stirpibus.
 Itaque quo in cuiusque pulmone maior & sanguinis & caloris
 inest copia, eo cuique maior moles & statura data est: homini-
 que qui vnus ex omnibus animantibus purissimum & plurimum
 sanguinem nactus est, maximè rectam & excelsam figuram na-
 tura dedit: & caput ad cælum erectum ei soli datum est, propterea
 quòd eam partem talem habeat. Quocirca ea causa essentia & huius,

& ceteris statuenda est, quemadmodum etiam quævis alia partium se habet. Huius ergo rei causa pulmo animantibus datus est. Causam autem necessitatis, & motus etiam ipsa animantia talia formasse, existimandum est, ut pleraque etiam quæ terrea non sunt, talia construxit & formavit. Alia enim ex maiore terræ particula constant, ut stirpes, alia ex aqua, ut bestię aquatiles, terrenæ autem ex aëre, volucres verò ex igne, quæ singula in suis locis suo quodam ordine constāt. Empedocles autem non rectè hoc tradidit, bestias aquatiles plurimum & caloris & ignis ex animantibus habere, easque maiorem caloris innati vim fugere, ut quoniam eis frigus & humor desit, in loco contrario seruentur. In aqua enim minus caloris inesse, quàm in aëre. Ac illud quidem absurdum est. quò enim fieri possit, ut unumquodque eorum cum in terra ortum sit, mutata sede aquam persequatur, præsertim cum plurima eorum pedibus careant. Ille autem eorum primum ortum exponens, ea in terra edita esse dicit, quam cum declinent, quamprimum aquam vult persequi. Præterea ne terrenas quidem bestias calore vincere videntur. quippe cum eorum partim planè exanguia sint, partim parum sanguinis habeant. Sed quæ per se & calida & frigida dici oporteat, alibi consideratum est. Atque ut ea causa quam ipse Empedocles attulit, rationem quæ exquiritur, quodammodo contineat, tamen eius non est vera sententia. Nam loca contraria & tempora, cum affectionis ac status immoderata quædam temperatio inest, conseruant: natura autem cuiusque in propriis accommodatisque locis conseruatur maximè. Neque enim idem sunt materia animantium, ex qua quodque constat, eorundemque habitus & constitutiones. ut si quid ex cera conflatum concretumque esset natura, id si in calore collocaretur, saluum minimè remaneret, nec si quid ex glacie interimeretur enim atque deleteretur celeriter à contrario, propterea quòd calor liquefacit id omne quod à contrario, concretum est. Nec si quid eadem natura ex sale aut nitro conglutinauerit, id in aqua ferens solet collocare. Destruit enim humor ea quæ à calore & siccitate coaluerunt. Quòd si humor ac siccitas materia sunt omnium corporum, rectè ea quæ ex humore ac frigore constāt, in aquis erunt, & si frigida, in frigidis: quæ autem ex siccitate,

citate, in terra & aridis locis. Ob eamque causam arbores non in
 aqua, sed in terra nasci solent. Atqui eadem ratione aquam per-
 secuta essent, quod sint prætermo- dum arida, quemadmodum ille
 ait, ea in aqua nasci, quæ nimio calore prædita sunt. Nō enim pro-
 pter frigus, sed propter humorem eò à natura impulsæ venirent.
 Materia igitur natura talis est, qualiscunq; locus est, in quo ver-
 satur: quæ in aqua, humida, quæ in terra, arida & calida quæ in
 aère. Affectiones autem & constitutiones quæ calore præstant, in
 frigido loco, quæ frigore, in calido collocatæ, magis conseruantur.
 Reuocat enim locus ad mediocritatem id quod nimium est in con-
 stitutione. Hoc quidem querendum est in accommodatis cuiq; ma-
 teriæ locis, ac pro communis temporis inclinationibus ac varia-
 tibus. Constitutiones enim locis aduersari possunt, materia non po-
 test. Ac calorem quidem non esse causam, cur animantia quædam
 aquatilia sint, alia terrena, quemadmodum Empedocli placet, tot
 dicta sint: & cur aliis pulmo datus sit, aliis non sit. Cur autem ea
 quibus est datus, spiritum ducant & respirēt, maximèque ea quæ
 sanguine præditum ipsum habent, causa quidem respirandi est
 pulmo, qui spongiis quiddam assimilabile habet, fistularumque plenus
 est. atque hæc eadem pars vna ex omnibus intestinis exanguis est
 maximè. Quibus ergo sanguinis particeps ipse datus est, ea &
 celeritatem refrigerationis desiderant, propterea quod paruo mo-
 mento labefactatur animalis calor, & illius introitum ad inti-
 mas omnes partes propter sanguinis calorisque copiam, quorum
 vtrumque aër facile præstare potest. Nam quoniam tenuis est na-
 tura sua, & per omnes partes, & citò diffusus refrigerat. Aqua
 autem contrà. Atque etiam hinc perspici licet, cur ea potissimū
 respirent, quibus pulmo cum sanguine datus sit, quod quo quic-
 que maiore calore præstat, eo plus refrigerationis requirit. Simul
 autem spiritus facile ad principium fontemque caloris qui in cor-
 de est, delabatur. Quo autem modo cor cum pulmone colligatum
 sit & cohereat, tum ex iis corporibus quæ apperuntur, tum ex
 historiis quæ de animantibus scriptæ sunt, perspiciendum est. Ergo
 refrigeratione omnino animantium natura indiget propter ani-
 mi in corde incēdium. Hanc autem respirationis ope ac beneficio

nanciscuntur ea omnia animantia, quibus natura non solum cor, sed etiam pulmonem dedit. Quibus autem cor datum est, non etiam pulmo, ut piscibus, ea quoniam natura sua in aquis viuunt, aqua adminiculo branchiarum se refrigerant. Quam autem rationem in situ cor ad branchias habeat, oculis quidem apertis corporibus perspicui potest, diligenter & accurate ex historiis. Sed ut de eo nunc etiam aliquid summatim dicamus, ita est. Videri quidem potest non eodem modo situm esse cor in terrenis animantibus & in piscibus, sed tamen eodem modo est. Quod enim capita inclinant, eò cordis mucro spectat. Quoniam autem non eodem modo capita inclinant, in terrenis animalibus & piscibus, cordis mucro ad os pertinet. Ex extremo autem corde fistula quaedam quæ venæ nervosæ speciem gerit, ad medium pertinet, quo inter se omnes branchiæ nexæ coniunctæq; sunt. Atq; hæc quidem est maxima: ex utraque autem cordis parte aliæ ad extremitatem vniuscuiusque branchiarum pertinent, quarum adminiculo ad refrigerationem cor utitur, delabente semper aqua per branchias. Atque ut branchiæ piscibus, sic iis quæ respirant thorax crebro pulsu sursum ac deorsum agitatur, recipiendo edendoque spiritu. Et ea quidem quæ ducunt spiritum paruo aëre atque eodem suffocantur, ut illa in pauca aqua. Celeriter enim utrumq; eorum concalescit, propterea quod utrumq; sanguinis tactus calidum reddat. Sanguis autem qui calidus est, refrigerationem impedit. Cum autem ea quæ respirant, pulmonem aquatilia brachias, aut per morbū aut senectutem agitare non

possunt, tum deniq; moriuntur. Ac omnium quidem animantium
 Cap. 7. De morte & vita hoc loco differit, sed in Græco non est distinctus liber à superiore.
 communis est ortus & mors: modi autem specie differunt. neq; enim distinctionis expers est interitus, sed comune quiddam habet. Mors autem alia violenta, alia naturalis est. Violenta, cum externum est principium: Naturalis cum interius est, partisque constitutio ab initio talis est, nec aduentitia est affectio quaedam. Ac in iis quidem quæ oriuntur è terra hoc ipsum siccitas, in animantibus senectus dicitur. Est autem mors proposita & interitus ex æquo omnibus quæ inchoata non sunt: quibus similiter quidem, sed alio modo cõuenit. Inchoata autem voco, ut oua & semina stirpiū quæ fibris ac radicibus carent. Ac omnibus quidem interitus incidit propter

pter caloris penuriam, perfectis autem in ea parte in qua essentia
 fons est ac principium: hoc porro in ea parte situm est, in qua uniu-
 tur, ut ante dixi, superior pars & inferior: in stirpibus quidem in
 medio germinis & radicis, in iis autem animantibus quæ sanguinẽ
 habent, in corde: in iis verò quæ expertia sunt sanguinis, in aliqua
 parte, quæ eandem rationem habet. Horum porro quædam multa
 principia habere possunt, non tamen reipsa habent. Quocirca & in
 secta quædam diuisa in partes viuunt, & quæ sanguinem habent,
 nec admodum vieta sunt, diu viuunt auulso corde, ut testudines,
 quæ pedibus ingrediuntur tum etiam cum parue sunt, propterea
 quòd ut insectorum, sic earum natura non bene compacta sit. Princi-
 pium autem vitæ tum deniq; ea quibus datum est deficit, cum calor
 vitalis non refrigeratur. Nam quemadmodum dictum est, à se ipse
 consumitur. Cum ergo alii pulmo, alii branchiæ obdurescunt, tẽ-
 porisq; diuturnitate his branchiæ, illis pulmo exarescit, eæque par-
 tes terræ siccitatem imitantur, nec mouere eas, nec dilatare, nec con-
 trahere possunt: tum deniq; contentione adhibita, ignis conficitur.
 Itaque leuibus morbis in senectute obortis, citò moriuntur. Nam
 quoniam exiguus est tum calor, propterea quòd in diuturna vita
 plurimum exhaustum est, quæcunque partis contentio adhibeatur,
 celeriter extinguitur, ut si tenuis & modica in eo flamma inesset,
 quæ paruo impulsu restingueretur: ob eamque causam sine dolore
 est & molestia mors ea quæ in senectute obrepit. Senes enim mo-
 riuntur sine ullo maiore impulsu, nec animi dissolutionem atque
 discessum à corpore prorsus sentiunt. Morbi etiam qui pulmonem
 durum reddunt vel inflationibus, vel excrementis, vel nimia co-
 pia caloris quem morbus parit, quemadmodum in febribus vsue-
 nire solet, animantia crebrum spiritum cogunt ducere, propterea quòd
 pulmonem nõ admodum dilatare, nec contrahere possint: quem cum
 mouere & agitare non possunt, tum deniq; edito spiritu moriuntur.
 ac ortus quidem est prima animi cuius est alere, cum calore com-
 munio. Vita, huius permansio. Adolescentia autem, primæ partis
 quæ refrigerandi vim habet, accretio. Senectus, eiusdem diminutio. Co-
 stas ætas, harum media. Obitus verò & interitus violentus quidẽ ca-
 loris restinctio & marcor. His enim duabus causis interire possunt.

G. ij.

Naturalis autem huius ipsius languor & marcor, quem temporis longinquitas affert & perfectio. Ac in iis quidem quæ terra ex se fundit, siccitas, in animantibus autem, mors vocatur. Huius porrò partis, mors quam affert senectus, marcor est, quòd per senectutem refrigerare nò potest. Quid ergo ortus sit, quid vita, quid mors, & quibus causis animantibus conueniant, diximus. Ex quibus etiam perspicuum est, cur animantia quæ spiritum ducunt, in aqua suffocari soleant, & pisces in aère. Hi enim aquæ, illa aëris adminiculo ad refrigerandum vtuntur, quibus vtraque locorum mutatione priuantur. Motus autem causa in piscibus quidem branchiarum, pulmonis verò in cæteris, quorum dilatatione & contractione hæc spiritum ducunt & edunt, illi aquam recipiunt atque mittunt, & præterea instrumenti constitutio ad hunc se habet modum.


Cap. 4. Tria quidem in corde reperiuntur, quæ eandem habere naturam videntur, nec habent, palpitatio, pulsus, respiratio. Palpitatio quidem est caloris qui in corde inest impulsio propter refrigerationem quæ è materia superuacanea, aut colliquandi vim habente, nascitur: vt fit in eo morbo qui τάλμος, id est tremor, vocatur, aliisque in morbis & in metu. Iis enim qui in metu sunt, extremæ partes refrigerari solent: calor autem qui pedetentim fugit & contrahitur, facit motum ita in angustum locum compulsus, vt interdum animantes metu affectioneque quæ morbum parit, enecentur. Pulsus autem qui cordi conuenit, quemque perpetuare videtur, similis est ei motui, quem vlcera cum dolore afferunt, quòd contra naturam sanguinis ea fiat mutatio. Existit autem quoad sanguis concoctus in pus se vertat. Estque hæc affectio feruori persimilis. Feruor enim tum est, cum à calore aqua intumescit. Attollitur enim propterea quòd moles maior redditur & excrescit. Sed vlceribus quidem & tuberculis exitus huius motus reperitur, nisi in spiritum resoluantur, crassiusculo iam humore reddito. Feruor autem desinit, cum per os vasis aqua decidit. In corde autem à calore factus tumor humoris, qui continenter ex alimento accedit, pulsus gignit, extrema cordis membrana sublata: idque perpetuum est. Influit enim humor continenter, ex quo sanguinis natura efficitur. Primò enim in corde perficitur. Id quod à primo ortu
perspici

perspici potest. Tum enim cum venæ nondum distinctæ sunt, cor sanguinem habere cernitur: ob eamque causam in admodum adolescentibus, maiore pulsu, quam in senibus agitatur. Maior enim vis halituum adolescentibus existit: & omnes venæ ac simul coagitantur, propterea quod à corde proficiunt. Quoniam autem cor perpetuo pulsu agitatur, illæ quoque continenter, & inter se simul, cum illud movet, agitantur. Palpitatio ergo est pulsus, qui ei impulsioni obsistit, quam frigus affert. Pulsus autem humoris concalentes inflatio & tumor. Respiratio verò tum existit, cum calor augetur eius, in quo principium alendi situm est. Quemadmodum enim ceteræ partes alimentum requirunt, sic etiam illa atque adeo magis quam reliquæ, præsertim cum aliis illa alimenti causa sit. Cum ergo amplificatur, instrumentum dilatetur necesse est. Instrumenti autem constructio similis illa quidem existimanda est esse follibus, qui in officinis ærariis videntur. (neque enim ab huiusmodi figura multum cor & pulmo distat) est verò duplex. In medio enim naturalis facultatis, ea pars quæ nutricandi munus habet, esse debet. Ac ea quidem attollitur cum excrevit, ea autem sublata, ea etiam pars dilatetur necesse est, quæ illam continet: quod quidem ij qui spiritum ducunt, facere videntur. Thoracem enim dilatant, quod huius talis partis quod in eo inest, principium hoc ipsum faciat. Cum enim dilatatur, ut in folles, sic in eam partem externum aëra illabi necesse est, eumque quoniam frigidus est, refrigerando maiorem ignis vim restinguere. Ut autem cum hæc pars crescit, dilatatur, sic & cum diminuitur contrahatur necesse est, & cum contrahitur, exeat aër qui rursus illapsus erat, ita tamen, ut qui frigidus ingressus erat, calidus egrediatur eius calor qui in hac parte inest, tactione, maximeque in iis animantibus, quæ pulmonem sanguine præditum habent. Eum enim in multas raritates quasi canales pulmonis influere oportet, quarum ad quamque venæ ita pertinent, ut totus pulmo sanguinis plenus esse videatur. Vocatur autem aëris introitus, respiratio, exitus autem expiratio: idque perpetuatur continua quadam vicissitudine, quamdiu hæc pars vivit, atque agitatur: ob eamque causam in ducendo edendoque spiritu vita consistit. Eademque ratione piscibus branchiarum.

G. ij.

motus, & impulsus oritur. Cùm enim calor qui est in sanguine, partibus ipsis attollitur, & sursum fertur, branchiæ quoque attolluntur, aquámque admittunt. Cùm autem per itinera & vias in cor delapsa est, atq; refrigeratio secuta est, contrahuntur, aquámque effundunt. Cùm porrò is qui in corde inest sanguis semper sursum feratur, eum rursus refrigeratum, continenter recipit. Itaque his quoque viuendi ac non viuendi finis positus est in perpetua aque recipiendæ vicissitudine. Ac de vita quidem & morte, iisque quæ cum hac disputatione coherent, ferè de omnibus dictum est. De valetudine autem ac morbo non solùm medici est, verumetiam physici ad aliquem modum causas explicare. Quid verò inter eos intersit, & quatenus in diuersis rebus versentur, intelligendum est. quandoquidem finitimam esse vtramque artem ad certum quendam finem ac terminum, res ipsa quam obseruamus, declarat. Nam & medici omnes clari, illustres aut valde diligentes de iis quæ naturam attingunt differunt, illincque principia assumunt, & clarissimus quisque eorum qui naturam tractauerunt, ferè in medicinæ principiis finem artis suæ statuit.

F I N I S.





R L L
Lz nosditz droitz
...nuoir, & contreraoie
...eurs particu